Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Georg Dorsche Johann Georg Büdner

De Aeterna Jesu Christi Maiestate Exegesis Loci Hebr. XIII,8. ...

Argentorati: Andreae, 1643

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746345968

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746345968/phys_0001
DFG

95

52b 6.



Xa 1092 (95)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746345968/phys_0002
DFG

Tomo hoc. XLVII. . continentur:

1. Dilherri Icarus Academicus Norimb. 1643.
2. Acclamationes propemptiae Academiae Genensis cum ex ea discederet idem Dilherrus.
3. Orationes inaugurales Academiae Lugdunensis Batavorum.
4. Polyandri. Walaei. Anno. 1620.
5. Thysii.
6. Hommii.
7. Sinapii.
8. Ravii Panegyrica Orientalibus linguis Trajecti dicta. 1643.
9. Hier. Welleri Consilium de Studio Theol. Rostoch. 1617.
10. Simile D. Joh. Quistorpii Rostochi. 1643.
11. Justi Jonae oratio de eodem argumento. ibid. 1644.
12. Dan. Heinsii Homilia in Natalem Domini. Lugd. 1613.
13. —— . In Christi Passionem. ibid eod.
14. Quistorpius de Viribus Liberi Arbitrii ex II. Cor. III, 4. 5. 1645.
15. Dannhaueri Dominus Gloriae crucifixus. 1633.
16. —— . De Melchisedeco e Gen. XIV. 1634.
17. Jacobus Martini de Causa Peccati. 1639.
18. —— . Analysis Capitis V. ad Romanos. eodem.
19. Dorschaeus De tribus testibus in Terra. 1 Jo. V, 8. 1635.
20. —— . De Peccato originali. eod.
21. —— Synopsis Theol. Zachariae.
22. —— . ad Hebr. XIII, 8. 1643.
23. —— . ad Act. IV, 27. 28. 1646.

24. D. Mentzerus de Ecclesia. 1608.
25. D. Hannekenius de Persona Christi. 1645.
26. D. Cothmannus de Praedestinatione. Rostoch. 1692.
27. ——. Pars II. —
28. Jo. Crocius de Orthodoxae Fidei Delectu Marp. 1619.
29. ——. Evang. per Europā Doctrinae cum Script. S. conformitas.
30. ——. De Apostolici nominis causis.
31. ——. De Apostolica Ecclesiarū Evang. Doctrina.
32. —— De Catholicismo Eccl. Evangelicae.
33. ——. De Antiquitate Relig. Evangelicae.
34. Gocklenii Theses Apologeticae contra Finkium. 1606.
35. ——. De Analogia seu proportione.
36. Pezelius de S. Coena Steinfurti 1602.
37. Tossani Theses contra Evangelicos. ibid. 1605.
38. Ravenspergeri Samson redivivus. ibid. 1614.
39. Heyderi Eukaes quaestionum Theol. Marpurgi. 1611.
40. Eglini de Genealogia Christi. ibid. 1608.
41. ——. De Fide justificante. ibid. 1617.
42. ——. De Peccato in Spiritum S. eod. 44 β. Crocius de Paedobaptismo.
43. ——. De Praedestinatione. ibid. 1619.
44. Compendium Apocalypseos Poeticum
45. Conradus Vorstius de Idololatria Pontificiorū in cultu Eucharistiae Steinfurt. 1608.
46. ——. de Idololatria eorundē in cultu sanctorum.
47. —— ——— In cultu Imaginum
48. —— ——— In cultu ipsius Pontificis.

49. P. Petri Roestii Soc. Jes. disputatio Paradisiaca
50. Conradi Vorstii Oratio Apologetica in pleno Consessu Ordinum Hollandiae et Westfrisiae habita. Raab Martii. 1612.
51. Ebelius de Generatione et Corruptione Hom. Gresse. 1646.
52. —— De Animae Hum. Simplicitate. 1644.
53. ——. Decades IV. Conclusionum Metaphysicarum. 1646.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746345968/phys_0005
DFG



DE

ÆTERNA

IESV CHRISTI MAIESTATE

EXEGESIS

Loci Hebr. XIII, 8.

Ἰησοῦς Χριστὸς χθὲς καὶ σήμερον
ὁ αὐτὸς, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας.

QUAM

Sub ejusdem gratioso patrocinio,

Præside

JOH. GEORG. DORSCHEO

SS. TH. D. PROF. ORD.
ET ECCLESIASTE

IN

inclyta Argentoratensium stud. Universitate

Mense d.

SOLENNITER *tuendam exhibet*
horis ante- & pomeridianis.

M. JOHANNES GEORGIUS Bidner
Mœno-Francofurtanus.

ARGENTORATI,
Typis JOHANNIS ANDREÆ
M. DC. XLIII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746345968/phys_0007
DFG

VIRIS

Magnificentiâ, Natalium splendore, Consilijs, Iudicio, usuq. rerum longissimo Nobilissimis, Celeberrimis,

DOMINIS

DN. PRAETORI DNN. CONSVLIBVS

ET

VNIVERSO SENATVI

Felicis & Liberæ

Imperialis Civitatis
Mœno-Francofurtensis

Patriæ Patribus
vigilantissimis
florentissimis

Dominis meis

Perpetua humilitate ac submissâ
devotione colendis

Gratiam & Felicitatem
à

DEO OPTIMO MAXIMO

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746345968/phys_0008
DFG

Multum sæpiusq; Cogitanti Mihi, Viri Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi, Evergetæ benignissimi, Patres Patriæ florentissimi, quo tandem, nunc amplius decennium Academiarum delicijs cœlesti beatus auxilio, nec (grande nefas!) ullo, etiam tenuissimo speciminis filo hactenus vel studia, vel animi gratitudinem testificatus ijs, quibus ut omnia deberem, accepta ferrem omnia, spiritus vitæ meæ primus, nascendique conditio Me sanctè jampridem obstrinxerat, obstrictum per omnes ętates ad extremum usque halitum tenet, studiorum monumento observantiæ cultum, submissionis, gratitudinisq; debitum persolverem, vel saltem aliquâ ex parte declararem, obstitit semper (uti solet animis Iuvenilibus) Verecundia, præsertim verborum, rerumq; supellectile, quam Vestra P.P. Dignitas postulat, penitus destituto. Neque ad tantum audaciæ facinus adhuc proruissem, nisi gravissimorum virorum, & de Republ. Ecclesiaq; meritorum præclarè monitis salutaribus, beneficiorum inprimis indies accrescente cumulo obrutus stimulos sensissem acerrimos.

Submissus igitur, expugnatâ Verecundiæ pertinaciâ, in vestrum P.P. conspectum prodeo augustissimum, hasq; Veritatis pagellas vestros ad pedes debito subjectionis cultu depositas offero; Certius enim studiorum monumentum & subjectionis, gratitudinisque τεκμήριον hactenus non occurrit, quin fortè nec gratius? Ut enim Evangelicæ Veritatis propagandæ, Majestatisque Nostri Salvatoris propugnandæ studium Vobis P. P. est antiquissimum; ita sanè nihil antiquius, acceptiusque esse penitus mihi persuadeo, quàm ut Vestri quoque Clientes (inter quos meum etjam nomen submissè profiteor) omnia isthuc unicè studia dirigant, nullis non viribus elaborantes, quò Religionis Sinceritas, ab infestis hæreticorum, eorum præcipuè, quibus Divina æternaque Christi θεανθρώπου Majestas sudes, ut ajunt, in oculis est, hoc infelicitatis seculo, sacris stirpibus

hinc

hincinde subnascentibus lolijs probè perpurgata, ad Posteritatis tempora feliciori quasi propagine transferatur. Huc cùm velis remisque contendere impensius à primis studiorum excursibus semper desudaverim, minimè dubito, quin hosce studiorum fructus persimiles ad Patriæ tandem littora ventis advectos impellentibus, faciliori, pressioriq; pollice è manu subjectissima sitis accepturi, quod etiam majorem in modum oro & obtestor omnibus precibus.

Vos interim, Evergetæ benignissimi, P. Patres florentissimi, Vestrum Clientem amplissima liberalitate, ingentique favore immerentem hactenus complexum, deinceps quoque sub Vestro singulari patrocinio tenete, fovete, defendite; Ego contrà operam dabo sedulò, enitar, perficiam denique divino roboratus spiritu, ut spes de me semel concepta, in tenues sit ventos irrita minimè concessura.

Deus Deorum, cujus Vos Administros meritò profitemini, Vestram Dignitatem cœlesti suffultam robore, in publicum cùm Ecclesiæ, tum Reipubl. emolumentum, hoc præsertim turbulentissimo rerum statu, porrò confirmet, confirmatam adaugeat, auctam ad usque extremam ætatis canitiem tutam atque incolumem præstet felicissimè. Ita Voveo, cum omnibus, quibus Patriæ Salus dulcissimæ, religionis sinceritas, tranquillitatisque studium curæ cordiq; est, ex intimis pectoris penetralibus, votis continuis, perpetuis!

Dab. Argentorati Cal. Martij,
A. Ch. M. DC. XLIII.

Vestræ

M. N. A. P.

Subjectissimus

obstrictissimus

M. Iohannes Georgius Bidner
Mæno-Francofurtanus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746345968/phys_0010
DFG

De

AETERNA IESV CHRISTI MAIESTATE EXEGESIS LOCI HEBRÆ. XIII, 8.

DEVM factum esse *hominem*, DEVM dici *hominem*, æternum *temporalem*, immensum *dimensum*, infinitũ *finitum*, incomprehensibilem *comprehensum*, DEVM *infantem*, &c. velut *miraculum miraculorum* piâ admiratione complexi sunt semper S. Patres. Greg. Nazianz. homil. εἰς τὰ θεοφάνια εἴτ' ὂν γενέθλια τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ιησοῦ Χριστοῦ. *pag.* 1. *ex edit. David. Hæschelij.* Χριστὸς ἐν σαρκὶ, τρόμῳ καὶ χαρᾷ ἀγαλλιᾶσθε. τρόμῳ διὰ τὴν ἁμαρτίαν; χαρᾷ, διὰ τὴν ἐλπίδα. χριστὸς ἐκ παρθένου. γυναῖκες παρθενεύετε, ἵνα χριστοῦ γενῆσθε μητέρες. τὶς οὐ προσκυνεῖ τὸν ἀπ' ἀρχῆς; τὶς οὐ δοξάζει τὸν τελευταῖον; πάλιν τὸ σκότος λύεται, πάλιν τὸ φῶς ὑψίσταται, πάλιν Αἴγυπτος σκότῳ κολάζεται πάλιν Ισραὴλ στύλῳ φωτίζεται. τὸ γράμμα ὑποχορεῖ, Τὸ πνεῦμα πλεονεκτεῖ. αἱ σκιαὶ παρατρέχουσιν, ἡ ἀλήθεια ἐπεισέρχεται. Ὁ Μελχισεδὲκ συνάγεται, ὁ ἀμήτωρ, ἀπάτωρ γίνεται, ἀμήτωρ, τὸ πρότερο. ἀπάτωρ, τὸ δεύτερον. Νόμοι φύσεως καταλύονται. πληρωθῆναι δεῖ τὸν ἄνω κόσμον. χριστὸς κελεύει μὴ ἀντιτείνωμεν. Πάντα τὰ ἔθνη κροτήσατε χεῖρας, ὅτι παιδίον ἐγεννήθη ἡμῖν, υἱὸς καὶ ἐδόθη ἡμῖν, οὗ ἡ ἀρχὴ ὑπὸ τοῦ ὤμου αὐτοῦ. τῷ γὰρ σταυρῷ συνεπαίρεται, καὶ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ, μεγάλης βουλῆς τῆς τοῦ πατρὸς ἄγγελος. Ιωάννης βοάτω, ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν τοῦ κυρίου, κἀγὼ βοήσομαι τῆς ἡμέρας τὴν δύναμιν. Ὁ ἄσαρκος σαρκοῦται, ὁ λόγος παχύνεται, ὁ ἀόρατος ὁρᾶται, ὁ ἀναφὴς ψηλαφᾶται, ὁ ἄχρονος ἄρχεται, ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου γίνεται, Ιησοῦς χριστὸς χθὲς καὶ σήμερον, ὁ αὐτὸς καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας. Ιουδαῖοι σκανδαλιζέσθωσαν, ἕλληνες διαγελάτωσαν, αἱρετικοὶ γλωσσαλγείτωσαν. h.e. uti Iac. Bil-

CAP. I. §. 1. Incarnatio miraculum miraculorũ, teste Greg. Nazianzeno.

lius vertit: *Christus in carne, tremore & gaudio exultate; tremore propter peccatum; gaudio propter spem. Christus ex virgine, mulieres virginitatem colite, ut Christi matres sitis. Quis eum, qui à principio est, non adoret? quis eum, qui postremus est, non laudet? Rursus tenebræ depelluntur, rursus lux creatur; rursus Ægyptus tenebris vexatur, rursus Israël columna illustratur. Litera loco cedit, Spiritus superat, umbræ prætereunt, veritas ingreditur, Melchisedeck colligitur. Qui sine matre erat, sine patre efficitur, prius quidem sine matre, post autem sine patre. Naturæ leges evertuntur, supernus mundus implendus est, Christus jubet, ne obnitamur. Omnes gentes plaudite manibus, quoniam parvulus natus est nobis, filius datus est nobis, cujus principatus est super humerum ejus. Cum cruce enim extollitur, ac vocatur nomen ejus Magni Consilij Patris Angelus. Clamet Ioannes: parate viam Domini; ego diei vim potentiamq́ clamabo. Carnis expers incarnatur; verbum crassescit; invisibilis cernitur; intractabilis contrectatur; temporis nescius principium capit; filius Dei filius hominis efficitur. Iesus Christus heri & hodie idem & in secula. Iudæi offendantur: græci derideant: hæretici linguæ prurigine afficiantur.* S. Basilius *homil.* εἰς τὴν ἁγίαν τοῦ χριστοῦ γένεσιν *p.* 101. *edit.* Hœschel. ὦ βάθος ἀγαθότητος καὶ φιλανθρωπίας θεοῦ. Δι' ὑπερβολὴν δωρεῶν ἀπιστοῦμεν τῷ εὐεργέτῃ; διὰ τὴν μεγάλην τοῦ δεσπότου φιλανθρωπίαν πρὸς τὴν δουλείαν ἀφηνιάζομεν. ὦ τῆς ἀτόπου ταύτης καὶ πονηρᾶς ἀγνωμοσύνης. Μάγοι προσκυνοῦσι, καὶ χριστιανοὶ συζητοῦσι, πῶς ἐν σαρκὶ θεὸς; καὶ ποταπῇ σαρκὶ; καὶ ἐν τέλειος ἄνθρωπος ἢ ἀτελὴς ὁ προσληφθεὶς; Σιγάσθω τὰ περιττὰ ἐν ἐκκλησίᾳ θεοῦ. Δοξαζέσθω τὰ πεπιστευμένα; μὴ περιεργαζέσθω τὰ σιωπώμενα. Ἐκείνοις σεαυτὸν ἀνάμιξον, τοῖς μετὰ χαρᾶς ἐξ οὐρανῶν ὑποδεξαμένοις τὸν κύριον. h.e. ex versione Iani Cornarij. *O profunditatem bonitatis & amoris DEI erga homines. propter excellentiam donorum fidem non habemus benefactori. Propter magnam heri humanitatem ad servitutem rebellamus. O absurdam hanc & malignam ingratitudinem! Magi adorant, & Christiani inquirunt, quomodo Deus in carne, & quali carne, & num perfectus homo an imperfectus assumtus sit? Sileantur superflua in Ecclesia Dei; glorificentur fide corroborata; ne curiosius investigentur silentio præterita. Illis te admisce, qui cum gaudio Dominum è cœlis susceperunt.* Antiquissimus Ignatius *in Epistola ad Philadelphienses* p. 98. Ἐὰν τὶς λέγει μὲν ἕνα Θεὸν, ὁμολογῇ δὲ καὶ χριστὸν Ιησοῦν, ψιλὸν δὲ ἄνθρωπον εἶναι νομίζει τὸν κύριον, οὐχὶ Θεὸν μονογενῆ καὶ σοφίαν, καὶ λόγον θεοῦ, ἀλλ' ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος αὐτὸν μόνον εἶναι νομιζῇ, ὁ τοιοῦτος ὄφις ἐστιν. &c. h.e. *ut vertit Vedelius: Si quis dicat, unū quidem esse Deum, & confiteatur Christū Iesum, sed eundem*

Basilio.

Ignatio.

eundem nudum esse hominem putet, non autem Deum unigenitum, Sapientiam & verbum Dei, sed sola anima & corpore illum constare censet, serpens est. &c. Greg. Nyssen. *in Epist. ad Eustachiam, Ambrosiam, & Basilissam edit. Paris. p. 9.* ὁ ἐλλάμψας τῇ ἐσκοτισμένῃ φύσει διὰ παντὸς τοῦ συγκρίματος ἡμῶν τῆς θεότητος τὴν ἀκτῖνα διαγαγὼν, διὰ ψυχῆς λέγω καὶ σώματος, ὅλον τὸ ἀνθρώπινον τῷ ἰδίῳ φωτὶ προσῳκείωσε τῇ πρὸς ἑαυτὸν ἀνακράσει. Ὅπερ ἐστὶν αὐτὸς κἀκεῖνο ἀπεργασάμενος. καὶ οὐκ ἐφθάρη ἡ θεότης ἐν τῷ φθαρτῷ σώματι γινομένη. &c. h. e. ut vertit Is. Casaubonus. *Is qui tenebrosam naturam illustravit, per universam nostram compagem Deitatis radio transmisso (per animam dico, & Corpus) universum genus humanum proprio sibi lumine participavit, dum illud sibi copulavit atque cōjunxit, effecitque, ut illud esset, quod est ipse. Et corrupta Deitas non est, habitans in obnoxio corruptioni corpore. &c.* Ioh. Chrysost. *serm.* εἰς εὐαγγελισμὸν *p. 367 edit. Hoesch.* vocat μυστήριον γνωριζόμενον πίστει, οὐκ ἐρευνώμενον πολυπραγμοσύνῃ. μυστήριον προσκυνούμενον, οὐ ζυγοστατούμενον, μυστήριον θεολογούμενον, οὐκ ἐρευνώμενον, μυστήριον ὁμολογούμενον, οὐ μετρούμενον. Origenes Adamantius περὶ ἀρχῶν l. 2. c. 6. *Ex omnibus miraculis illud penitius humanæ mentis admirationem excedit, nec invenit mortalis intelligentiæ fragilitas, quomodo sentire vel intelligere possit, quomodo Dei verbum, potentia & sapientia, per quam creata sunt omnia, intra circumscriptionem ejus hominis, qui in Iudæa apparuit, credenda sit, sed & ingressa Dei sapientia uterum fœminæ nasci parvulus, vagitum emittere voluerit; arbitror sanè, quod omnium, etiam sanctissimorum Apostolorum supergrediatur mensuram, quin imò etiam totius creaturæ.* Iustin. Martyr. *in Epist. ad Diognetum p. 7. edit. H. Steph.* vocat ἀνεξιχνίαστον δημιουργίαν. Plura ejusmodi apud Cyprianum, Cyrillos Alexandrinum & Hierosolymitanum, Hilarium, Leonem M. & alios priscæ Ecclesiæ Dd. reperiuntur, quibus hoc agunt, ut ostendant, MIRANDUM esse Deum in utero virginis, mirandum omnipotentem in cunabulis &c.

Ioh. Chrysostomo.

Iustino Martyre. & alijs.

§. 2. Hoc divinioris nostræ Philosophiæ ARCANVM non admiratione religiosâ, sed argumētatione improbâ excipiunt Photini reliqæ, Sarmatici pulli, Sociniani. Sic n. Smalcius *in resp. ad nova monst. Smiglecij part. 1. c. 5. p. 50. Qui ex patribus oriundus, qui mortuus fuit, quomodo De⁹ ille un⁹ esse potest, cū nemo nisi homo ex patrib⁹ nasci & mori potuerit? Qui v. homo est essētialiter, is Deus esse essētialiter neqt, nisi velim⁹ de uno eodēq; subjecto cōtraria essētialiter prædicari posse.* Ioh. Crellius Frāc. cætus Racov. in Pol. minister, *in lib. 2. de uno vero Deo. sect. 2. c. 7.* ita cōtra incarnationis hoc mysteriū scribit: *Tertia ratio est, ꝙ ex ipsorū sen-*

Impugnatur à Photinianis directè.

sententia necesse est, Christum simul & Deum, nempe summum, & hominem esse, & Deum esse hominem, hominem esse Deum. Atqui Deus ille summus & homo disparata sunt. Vnum autem idemq; subjectū duo disparata esse non potest, nec unum disparatorum potest esse alterum: seu, ut in scholis loquuntur, non possunt disparata de eodem subjecto univocè *seu in quid prædicari, & quidem singula seorsim, absque ullâ limitatione vel adjectione. Non possunt etiam de se mutuò univocè seu in quid dici, nisi fortè per metaphoram ac similitudinem, ut si dicam, hominem esse Leonem vel vulpem, h.e. leoni vel vulpi similem. Sed figuræ hic locum non habent, propriè enim id volunt adversarij, & velle coguntur, partim ob sua de Christo dogmata, partim ob aperta sacrarum literarum dicta. Cur verò disparata isto, quem diximus, modo, de uno eodemque subjecto dici nequeant, nedum de se invicem, ratio hæc est: quia disparata sunt opposita, quanquam laxiori oppositi significatione, quàm Aristoteles id nomen accipit. Atque id non diffitentur adversarij. Vident enim tacitam in se contradictionem continere, quæ oppositio est maxima & irreconciliabilis. Etenim per differentias essentiales, quibus sibi invicem opponuntur, se mutuò excludunt, & alterum negatur esse alterum. Sic homo v.g. & equus differunt ut homo & non homo, rationale & non rationale, equus & non equus. homo & planta differunt nontantùm ut homo & non-homo, sed etiam ut animal & non animal, seu ut sensitivum & non sensitivum; & quanto longius alterum ab altero distat, tantò plures reperiuntur inter illa differētiæ essētiales, quas genericas vocant, tantoq; plures emergunt inter illa contradictiones. Iam verò si quidquam in substantiæ genere ab homine distat, id DEVS est, si modò Deum ad substantiæ genus & adversarios referre licet, id quod hîc statuere, nihil est necesse. Imò si eū à substantiæ genere excludas, tanto longius ab homine distabit, tantoque plures inter illum & hominem orientur differentiæ, atque contradictiones, quæ efficiunt, ut ij inter se opponantur. differunt enim homo & Deus ut homo & non homo, animal & non animal, corpus naturale & non corpus naturale, & si quæ adhuc aliæ reperiuntur differentiæ, quibus Deus ab hominis generibus dispescitur. Non possunt ergò Deus & homo de eodem subjecto, quale est Christus, simpliciter & absolutè seu in quid & univocè prædicari.* Ita quæ veteribus & sanctis admirationis fuit materia, his contradictionis est.

Indirectè Calviniani

§. 3. Faciunt heic Sociniani, quod & Calviniani. Hi namque ex eodem fundamento tropicam locutionem heic comminiscuntur, quia *disparata de se invicem propriè prædicari non possunt.* Theod. Beza Coll. Momp. p. 366. Quam eandem etiam asserunt in illâ

illà mysticà prædicatione Sacramentali, quà *panis* non ἐπωδῶς, sed in officio suo & συμπεπλεγμένως consideratus stylo Ecclesiastico dicitur *Corpus Christi*. Vide eundem Bezam *vol. 3. tract. Theol. f. 357.* Piscatorem *illustr. quæst. 9.* Trelcat. *in loc. p.* 208. Bucanum *p.* 733. & novissimè M. Frid. Wendelin. in Christ. Theol. *l. 1. c. 23. p. 383.*

§. 4. Eodem modo, ut monstrum transsubstantiationis in sanctissimâ Eucharistiâ tueantur Pontificij, urgent hanc propositionem. Bellarm. *l. 3. de Euch. c. 19. §. sed hæc nullo negocio. Si liceat affirmare disparata de disparatis, licebit eodem jure de nihilo affirmare aliquid, de aliquo nihil, de luce tenebras, de tenebris lucem, de Christo Belial, de Belial Christum. At fides nostra ad id nos non obligat, ut ea defendamus, quæ evidenter implicant contradictionem.* Ita etiam scribit Greg. de Valentia *in Opusc. sect. 1. de transsubst. l. 2. c. 2.* Vasquez. in *3. part. Thomæ. tom. 2. disp.* 180. *c. 5.* Suarez. *disp. 49. s. 2.* Tannerus *Ies. T. 4. Theol. Scholast. disp. 5. quæst. 4. dub. 3. p. 1104.* & alij plurimi. Cum tamen Cardinalis Cameracensis Petrus de Alliaco *in 4. quæst. 6. art. 2.* Scotus *d. 11. quæst. 3.* Durandus *q. 1. n. 14.* Paludanus *quæst. 2. n.* 24. Occamus *quæst. 6. & quodlib. 4. q. 30.* illam mysticam ptopositionē in omni proprietate sermonis veram esse dixerint, etiamsi cum corpore Christi præsens esset substantia panis. Vnde Tannerus: *hæc sententia non parum favet sectarijs hujus temporis.* Pontificij.

§. 5. Atqui tam Pontificijs & Calvinianis, quàm Photinianis sufficienter à Dd. nostris alibi responsum est. Breviter 1. nullam repugnantiam esse in assertione VNIONIS *summi Dei & humanæ naturæ*, sive ex parte *assumentis*, sive ex parte *assumpti*, sive ex parte *assumptionis & unionis*, sufficienter ostensum est à SS. Patribus. Et 2. unum idemque subjectum duo disparata esse nequit, nec unum disparatum potest esse alterum *per identitatem essentialem & naturalem.* Hoc enim attingit intellectus humanus, ex principijs & vestigijs naturæ colligens istam propositionem, quod per unitatem essentiæ & naturæ idem subjectum duo disparata simul esse nequeat, & quod unum disparatum alterum esse nequeat. Altius ex suo lumine naturali ascendere nequit. Nec potest Dicere: *unum idemque subjectum duo disparata simul esse nequit, nec unum disparatum potest esse alterum*, per identitatem *supernaturalem, mysticam, hypostaticam.* Quia quanta sit potentia divina ad ejusmodi identitatem, lumen creati intellectus, nisi ex *summo principio revelante*, non attingit. Itaque ita argumentum formandum est. DEVS & homo sunt disparata. DEVS & homo prædicantur in quid de eodem subjecto,

quia Christus est summus Deus & homo, & Deus prædicatur de homine, & homo de summo Deo. Ergò in aliquo disparata de uno eodemque subjecto in quid prædicantur. Ergò aliquando disparatum de disparato prædicatur. Sic igitur redeundum est ad Theologiam, & ostendendum, revelatum esse aliquem modum, quò disparatum de disparato, & duo disparata de eodem subjecto prædicari possint. Neque 3. contradictio, quæ est oppositio irreconciliabilis, in ejusmodi propositione mystica latet. Neque enim est illa oppositio ex eodem principio, eâdemque causâ, neque ad idem essentiale. Differentias esse inter duas istas distantissimas naturas, numero plurimas, perfectione maximas, negandum non est. *Distantia verò vel indistantia perfectionalis*, inquit veterum aliquis, *nihil facit ad unionē. Imò frequenter, quantò aliqua plus distant, tantò magis sunt unibilia, sicut inter substantias maximè distant materia & forma, & sunt magis unibilia. Item plus distat accidens à substantiâ, quàm ab accidente, & tamen unitur substantiæ & nō accidenti, ut virtus animæ, & non alteri accidenti.* De contrarijs verò dicitur, quod ipsa uniri non possunt: non est ratione distantiæ. Minus enim distant inter se contraria, quàm qualitates non contrariæ. Cum contraria sint ejusdem generis: sed non contraria quandoque differunt genere subalterno, & ideò uniri non possunt, quia formaliter ad invicem repugnant. Item licet natura divina & humana sint magis diversa quàm contraria, non tamen magis repugnantia. Itaq; mittamus istos religiosæ admirationis vastatores, & ad personæ Salvatoris admirabilis meditationem accedamus.

CAP. II. Meditationis basis textus in fontibus & versionibus exhibetur.

§. 6. Instituemus autem illam occasione dicti Hebr. XIII, IIX. Textus Apostoli Pauli originalis ita habet: Ιησοῦς χριστὸς χθὲς καὶ σήμερον ὁ αὐτὸς, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας. Ita eundem, commate post αὐτὸς posito, legunt Biblia Regia Hispan. N. Test. è bibliotheca Regia Gallicana R. Stephani. N. Test. H. Stephani. Editiones Tigurinæ. Aldus Manutius habet: Ιησοῦς χριστὸς χθὲς καὶ σήμερον. Ὁ αὐτὸς καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας. Aldum sequitur Des. Erasmus, Guido Fabricius Boderianus *in N. T. Syriaco Paris. edito.* Editiones Basilienses. &c. Nonnullæ legunt sine interciſione, vel post σήμερον, vel post αὐτὸς: Ιησοῦς χριστὸς, χθὲς καὶ σήμερον ὁ αὐτὸς καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας. Ita Greg. Naz. in τὰ θεοφάνια *à princ. ex edit. David. Hoeschel.* & Athanasius Alexandrinus *edit. Commelin. T. I. contra Arrian. disp. 2. p. 153.* qui tamen *T. 2. dial. 4. de SS. Trin. p. 209.* ita legit: Ἄνθρωπος Ιησοῦς χριστὸς χθὲς καὶ σήμερον, ὁ αὐτὸς καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας. Syrus interpres ita habet: ישוע

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746345968/phys_0016
DFG

משיחא אתמל וימנא והוא ולעלם. In opere Regio hæc Syriaca metaphrasis ita redditur Latinè: *Ieschua Meschicho heri, & hodie, etiam idem est & in æternum.* Imm. Tremell. & Fr. Iunius ita vertunt: *Ieschua Christus heri & hodie & idem est & in æternum erit.* Sequitur Mart. Trostius. Vulgatus interpres ita habet: *Iesus Christus heri & hodie, ipse & in secula.* Santis Pagnini versio *Anno* 1528. *edita* habet: *Iesuah Christus heri & hodie, ipse in secula.* Arias Montan. *Iesus Christus heri & hodie ipse, & in secula.* Tigurini. *Iesus Christus heri & hodie, idem est etiam in secula.* Beza. *Iesus Christus heri & hodie, idem est & in secula.* Calvinus: *Iesus Christus heri & hodie, idem etiam in secula.* Castalio: *Iesus Christus & heri & hodie, & idem est in sempiternum.* B. Lutherus: Jesus Christus gestern vnd heut/ vnnd derselbe auch in ewigkeit. Dietenbergius: Jesus Christus gestern vnd heut/ vnd Er auch in Ewigkeit. Sic & Embserus. Tigurini Pontificios hic sequuntur. Piscator. Jesus Christus ist gestern vnd heut eben einer/vnd auch in ewigkeit. Amand. Polanus, Jesus ist Christus/gestern vnd heut/eben derselbige/vnd auch in ewigkeit. Tossanus. Jesus Christus ist eben derselbige gestern vnd heut/ vnnd auch in ewigkeit. Belgica Vetus. Jesus Christus gistern enn heden/ende dieselve ook in ewigkeit. Antonius Bruccioli: *Giesu Christo hieri & hoggi è il medesimo Anchora ne secolo.* Ioh. Deodatus: *Iesu Christo èl' istesso, hieri & hoggi & in æterno.* Gallica Anno 1569. *Iesus Christ qui a esté hier & auiourd' huy, est aussi le mesme eternellement.*

§. 7. Hunc textum sanctum ita exponit per aliquot secula deducenda antiquitas. In *quarto seculo* A. 340. Athanasius Alexandrinus Episcopus T. 1. *contra Arian. disp.* 2. *p.* 163. a. ἀναλλοιώτως ἡ εἰκὼν τοῦ ἀτρέπτου θεοῦ ἂν εἴη. Ἰησοῦς γὰρ χριστὸς χθὲς καὶ σήμερον ὁ αὐτός, καὶ ἀυτος εἰς τοὺς αἰῶνας. *Non igitur alterabilis fuerit imago inalterabilis Dei. Iesus autem Christus heri & hodie, idem est in secula.* Idem *ad Serapionem, contra eos, qui filium creaturam dicunt*: T. 1. p. 340. a. ὑὸς ἄτρεπτος ἐστι καὶ ἀναλλοίωτος, ὡς ὁ πατήρ. Ἰησοῦς γὰρ χριστὸς &c. Idem confirmat *ad Epictetum Episc. contra hæreticos Epist.* p. 454. T. 1. Idem T. 2. *dial.* 4. *de SS. Trinit.* p. 209. ait Orthod. Ἐγὼ μὲν σῶμα κτιστὸν λέγω, καὶ ψυχὴν κτιστὴν καὶ αἷμα κτιστὸν, καὶ ταφὴν κτιστὴν, καὶ ἄνθρωπον καθόλου κυριακὸν, ἑνώσει τοῦ θεοῦ λόγου. Οὕτως, ὡς εἶναι ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν ὅλον θεὸν καὶ κύριον ἀκούειν, καὶ ποτε αὐτὸν ὅλον ἄνθρωπον. Λέγει γὰρ Παῦλος: Ἄνθρωπος Ἰησοῦς χριστὸς χθὲς καὶ σήμερον

CAP. III. Textus Apostolicus ex antiquitate omnium seculorum Ecclesiæ fere repræsentatur, Athanasius.

σήμερον &c. *Ego & corpus dominicum dico, & animam dominicam & sanguinem dominicum, & sepulturam dominicam, & hominem universè dominicum unione Dei verbi: adeò ut sit unus & idem totus Deus, & dominus audiendus & iterum ipse totus homo &c.* In eodem seculo A. 370. Greg. Nazianz. *in homil. laudata superius* εἰς τὰ θεοφάνια *p. 2. edit. Hoëschel.* ὁ ἄσαρκος σαρκοῦται, ὁ λόγος παχύνεται, ὁ ἀόρατος ὁρᾶται, ὁ ἀναφὴς ψηλαφᾶται, ὁ ἄχρονος ἄρχεται, ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ υἱὸς ἀνθρώπου γίνεται, Ἰησοῦς χριστὸς χθὲς καὶ &c. Theophilus Alexandrinus in eodem seculo A. 390. T. 1. B. S. P. *Margarini de la Bigne, Epistola Paschali 1. interp. Hieronymo, quæ & extat in hæresiologia p. 617.* homo *factus, nostra confessione permanere dicitur, quod fuit, priusquam homo fieret; Paulo nobiscum eadem prædicante: Iesus Christus heri & hodie, ipse & in æternum. Ineo enim, quod ait* ipse, *ostendit, illum pristinam non immutasse naturã, nec divinitatis suæ divitias imminuisse, qui propter nos pauper effectus plenam similitudinem nostræ conditionis assumpserat.* In eodem Seculo A. 398. circiter, Iohann. Chrysostomus Constantinopolitanus Episc. *hom. 33. in Epist. ad Hebr. edit. Commelin. p. 1965.* τὸ χθὲς, τὸν παρελθόντα πάντα λέγει χρόνον. τὸ σήμερον, τὸν ἐνεστῶτα αἰῶνα καὶ τὸν μέλλοντα τὸν ἄπειρον. Τοῦτ' ἔστιν ἀρχιερέα ἠκούσατε· ἀλλ' οὐκ ἀρχιερέα λήγοντα. ἀεὶ ὁ αὐτός ἐστιν, ὡς ὄντων τινῶν τῶν λεγόντων, ὅτι οὐκ ὄζει, ἕτερος καὶ ἥξει. Τοῦτο λέγει, ὅτι χθὲς καὶ σήμερον ὁ αὐτὸς, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας. h. e. *Illud heri dicit omne tempus præteritum, & hodie præsens seculum, in seculâ autem, futurum & infinitum. Hoc est: audivistis Pontificem, sed pontificem qui non desinit, semper idem est. Perinde atq; si essent aliqui, qui dicerent eum non esse, venturum alium, hoc dicit, quod est heri & hodie, idem est & in secula.* In quinto seculo Augustin. Hippon. Episc. circa A. 420. *serm. 9. in natal. Christus est heri propter mortalitatem, hodie propter æternitatem.* In eodem seculo Cyrillus Alexand. *Episc. T. 3. de recta fide ad Regin. p. 303. ad h. l.* Verbum, *quod ex Deo natum, tunc inveniemus Iesum Christum, quando factum est homo ex muliere. Quomodo heri & hodie & idem in secula? Per unionem scilic. ad verbum Dei, in filium unum, Carne ab ipso assumtâ. Sic enim incommutabilitas verbi secundum naturam manet, quamvis & cum carne intelligatur.* Idem *in Dial. quod unus sit Christus per oppositionem ad Hermiam p. 101.* Opponit Hermias: *Quo pacto sapientissimus Paulus inquit,* Iesus Christus heri & hodie, ipse & in secula. *Si ergò etiam alius est, (Iesus enim est, inquit, heri & hodie) idem erit etiam in secula, recens nimirum, & hodie atque heri, licet verbum cum patre coexistat:* Respondet Cyrillus: *Perperam certè*

Gregor. Nazianzenus.

Theophilus Alexandrinus.

Joh. Chrysostomus.

certè faciunt, derivantes ac distorquentes veritatem ad suam imperitam libidinem, & sacrarum literarum sententiam corrumpentes. Si autem quis affirmaverit, Christum Iesum ante secula extitisse, à vero nequaquam aberrabit. Siquidem est unus filius Dei & Dominus, verbum ante secula, quod in novissimis seculi temporibus nativitatem ex muliere secundū carnem subijt. Quod autē verbum homo nostri similis factū immutatum nō sit, significavit Paulus, spiritu afflatus dicens: Iesus Christus hodie & heri, ipse & in secula. *Ac per heri præteritum tempus indicat, per hodie præsens, per secula vero præsens & futurum. At si putant se magnum aliquid excogitasse, quod per heri & hodie recentem intelligant, ita contendentes, qui heri & hodie est, quomodo sit etiam in secula? transferemus & nos cogitationis vim in contrarium. Verbum enim existens in secula quo pacto in se recipiat heri & hodie? siquidem est unus Christus & non divisus.* In eodem seculo circiter A. 430. Theodoretus *Episc. Cyr. in Comm. sup. h. l. T. 2. opum p. 175. Docet æternam ejus essentiam. Heri enim & hodie humanam appellavit naturam: Æternam autem vocavit divinitatem. Eundem autem dixit & hoc esse & illud, quoniam unus filius, unigenitus idem & primogenitus.* In eodem seculo Ioh. Cassianus Ioh. Chrysost. olim Diaconus, & post Massilienſis in Gallijs presbyter circ. A. 440. *l. 5. de incarnatione Domini. p. 1267.* Idem *Iesus heri & hodie, id est, idem ante exordium mundi, qui in carne, idem in præterito, qui in præsenti, idem quoque etiam in secula, quia idem per omnia, qui ante omnia, & hoc totum Dominus Iesus Christus. Et quomodo idem ante mundum ortum, qui nuper ortus? scilicet quia idem in homine nuper ortus, qui ante ortum omnium DEVS. Et ideò Christus totum nominatur, quod DEVS, quia tanta est Christi & Dei unitas, ut nemo utique jam omninò possit vel Christum dicens, non DEVM in Christi nomine dicere, vel DEVM dicens non Christum in DEI nomine nuncupare. Ac sic unito sibi penitus per majestatem Sacra nativitatis utriusq; substantiæ sacramento, quicquid erat scil. homo & DEVS factum est totum DEVS.* In eandem sententiam scribit Cassianus *l. 6. de Incarn. p. 1279.* In *seculo nono* circa A. 840. Strabo Fuldensis, Rabani Archiep. Moguntin. discipulus, *in Gloßa ordinaria ita h. l.* exponit: *Christus Iesus heri i. in tempore præterito, & hodie i. in præsenti tempore, ipse & in secula i. in futuro, & non solum hoc ultimum verum est ratione divinitatis, sed etiam ratione humanitatis.* In *Vndecimo Seculo* circa A. 1071. Theophylactus Bulgarorum Archiep. *Comm. h. l.* Apparet *nonnullos extitisse, qui fidem suffoderint ac labefactarint, dicentes, alius veniet, quem hodie usque expectant Iudæi. Ait igitur:* Idem est Christus heri *i. omni*

Theodoretus.

Ioh. Cassianus.

Strabo Fuldensis.

Theophylact.

præterito tempore, & hodie *h.e. præsenti tempore*, & in secula futura, *adeoq; infinita: nec veniet alius, ne erretis igitur. Vel quemadmodū præcedentes vos non deseruit, sed in omnibus suscipit, & adjuvat eos, hunc admodum vos suscipiet: idem enim est.* In eodem seculo circa A. 1081. Anshelmus Cantuariensis Archiep. *Comm. h.l.* (quamvis Bellarm. de script. Eccles. p. 305. scribat, eadem Commentaria in editione Parisiensi A. 1344. Hervæo Natali Britoni Ord. Prædic. Magistro, qui vixit seculo decimo quarto, circa A. 1320. tribui, & putet istam inscriptionem veriorem, quia ab Edinero Anglo, qui vitam & scripta Anshelmi collegit, hoc opus non nominatur, quia vetustissima inscriptio Hervæo opus hoc tribuit, quia ista Commentaria non sapiunt Anshelmi suavitatem & gravitatem) ita scribit & παρεφράζει sententiā Paulinam: *Ne autē dubitetis Dominum vobis adjutorium adesse, quod illis affuit, scitote, quia* Iesus Christus heri fuit & hodie est, ipse & in secula erit. *Ac si dicatur, idem Christus, qui cum illis fuit, vobiscum est, & erit cum eis, qui futuri sunt, usque ad consummationē seculi. Heri fuit cum Patribus, hodie est vobiscum, ipse erit & cum posteris vestris in secula. Heri enim præteriti temporis est, hodie præsentis. Quod autem in secula manet, non videtur habere finem. Heri ergo omne præteritum tempus & omne spatium in æternitate, quod ante mundi originem fuit, significat. Hodie autem omne præsens tempus; Perduratio in secula, omne spatium temporis & infinitatis quod futurum est. Itaque Iesus Christus fuit heri, quia in principio fuit verbum, & ab æterno usq; ad nostra tempora. Ipse est hodie quoque, i. nostro tempore est. Erit & in secula, quia æternaliter manebit. Vnde & per Iohannem de eo dicitur Qui erat, & qui est, & qui venturus est. Nam qui venturus est, potest intelligi, qui futurus est per omnia secula. Et hæc quidem secundum imbecillitatem humanæ intelligentiæ dicuntur. Cæterum divinitas ejus interminabilis plenitudinem totam pariter comprehendit ac possidet, cui neque futuri quidquam absit, neque præteriti fluxerit, quoniam esse ejus totum est, & semper est, nescitque mutabilitatem, qui neque capit unquam, nec aliquando cessabit, insuperabile quoddam ac sine fine essentiæ pelagus, nullis terminis limitibusq; circumdatam, omnem supergrediens sensum, omne tempus atq; omnem naturam.* In eodem seculo undecimo Anshelmus Laudunensis *in gloß. interlin.* nihil interpretatur, nisi illud εἰς τὸς αἰῶνας, quod reddit, *sine fine.* In eodem Oecumenius *in scholijs ad h.l.* (quanquam refert Possevinus *in appar. S.* sibi scripsisse Frontonem Ducæum, in antiquis patribus accuratum observatorem, *scholia illa in Epp. Paulinas non esse Oecumenij, nisi ex parte,*

Anshelmus Cantuariensis.

Anshelmus Laudunensis. Oecumenius.

neque

neque illius Catenæ autorem tam antiquum fuisse) *Veronens. edit.* διὰ τὸ χθὲς τὸς παρελεληθότας αἰῶνας δηλῶν, διὰ τῦ σήμερον τὸς ἐνεστῶτας, διὰ τῦ ὁ ὢν τὸς εἰς τὸς αἰῶνας, τὸς μέλλοντας. Bernardus Clarævallensis Abbas, *citante Ioh. Benedicto Parisino in scholijs h. l.* ita *in XII. seculo circa A. Chr.* 1130. scribit: *Hesternum quidem ab initio seculi usq; ad dominicam adscensionem, hodiernum vero diem exinde usque ad seculi consummationem, æternum intellige per communem omnium resurrectionem.* In eodem seculo duodecimo sub nomine P. Lombardi fertur editus in Epistolas Paulinas Commentarius, quanquam de eo nihil referat Bellarminus *de scriptoribus Ecclesiasticis p.* 340. sed Antonius Possevinus *in Appar. sacro*, qui scribit, *eundem ex sententijs Ambrosij, Hilarij, Augustini, Cassiodori & Remigij, suppressis tantum eorundem nominibus concinnatum, & omni eruditione refertissimum esse.* Verba ejus *in h. l.* hæc sunt: *Hoc pertinet ad superiorem sententiam, ubi testatus est, Deum dixisse, non deseram te, neque derelinquam te. Poterat autem illis videri, quod hæc promissio tantum ad Iosue pertineret. Ad quod Apostolus dicens respondit, quod & hos juvabit, sicut & illum juvit. quare non est dubitandum de promissione, quod Iesus Christus, qui heri, i.e. in præterito adiuvit Iosue, ipse hodie i.e. in præsenti adjuvat nos & alios fideles, & adjuvabit in futuro, in secula, i.e. sine fine.* In seculo XIII. Hugo de S. Caro Cardinalis ita scribit ad *h. l.* ut Lombardi ferè verba exprimat. Addit, *innui his verbis, Christum esse æqualiter potentem & liberalem sicut fuit.* Confert cum hoc dicto locum *Apoc.* 1. *ego sum* A *&* Ω. *&* ✝. 102. *Tu autem idem ipse es. &c. & Esa.* 59. *Ecce non est abbreviata manus. &c.* In XIII. seculo circa A. Christi 1265. Thomas Aquinas *Comm. h. l.* ita scribit: *Secundum glossam sic introducitur litera ista. Ipse enim supra dixerat, quod scilicet dictum est Iosue; non te deseram neque derelinquam, poterant illi dicere: Iste cui hoc dictum est, bene debebat confidere de DEI adjutorio; nos autem non sic, quibus non est dictum. Hoc removet Apostolus, dicens. quod Christus qui hoc tum dixit Iosuæ, manet in æternum. Et ideò, sicut tum potuit ipsum juvare, ita potest modo auxiliari nobis. Ideò dicit:* Iesus Christus &c. *Vel potest referri ad immediatè dictum. Iam enim dixerat, quod deberent imitari Apostolos. Poterant dicere, quod non est simile, quod illi immediatè instructi fuerunt à Christo, & servierunt sibi, nos autem non sic. Et ideo dicit Apostolus, quod Christus manet. Et ideò instruit nos ad serviendum sibi. Vnde dicit:* Ipse Christus heri, *scil. in tempore primitivorum Apostolorum,* & hodie *sc. in tempore isto, &* in secula *Matth. ult. Ecce ego vobisc. sum usque ad consummationem seculi. Apoc.* 1. *Dicit*

Bernardus

Lombardus.

Hugo de S. Caro Cardinal.

Thomas Aquinas.

Dominus DEVS, qui est & erat & qui venturus est, ℣. 102. *Tu autem idem ipse es &c. In hoc ergò ostendit Apostolus æternitatem Christi.* Nicol. Lyranus Strabum Fuldensem sequitur in seculo XIV. In quo & *Nicol. Gorram* circa An. Chr. 1350. ita in h. l. scribit: *Felix ille, cujus fides Catholica, conversatio Apostolica, mors vivifica, doctrina Evangelica, Iesus Christus heri. &c. q.d. non dubitandum de promissione prædictâ, scil. non deseram te &c. quod Iesus Christus, qui fuit adjutor heri, quoad sanctos antiquos, & hodie quoad modernos, ipse & in secula, id est, usq; in finem seculi est adjutor futurorum sanctorum. Apoc. 1. qui est, qui erat &c.* Ita à diversorum seculorum Doctoribus, inter quos tamen magna est autoritatis & puritatis disparitas textus noster expositus est. Penè omisissem superstitiosissimum B. Virginis præconem *Richardum à S. Laurentio*, qui ante quadringentos annos vixit & *l. 4. de laudibus Mariæ* ita h. l. ad Mariam accommodat: *Iesus Christus ipse, qui antiquos inspiravit, ut de Matre sua sub ænigmatibus gloriosa prædicerent, ipse & quosdam modernos illustrat, ut de ea gloriosa non tacerent, & etiam usque ad finem mundi semper aliquos illustrabit, ut matris præconio nova semper aliqua superaddant.* Adde ad superiora, quod Gregor. Nazianz. *Orat. 5. de Filio Dei edit. Leonclav. p. 170. fin.* scribit: *Iesus Christus heri & hodie corporaliter, idemque spiritualiter seculis infinitis existit.* Elias Cretens. ita commentatur. *Patet, quod heri & hodie existat corporaliter humanæ naturæ respectu, idemq; spiritualiter etiam in æternum ratione Deitatis.*

Lyranus. N. Gorranus.

Richard. à S. Laurentio.

§. 8. Nos ex illis sequentia observamus, futuræ explicationi utilia. *Primò*: ex hoc textu deduci, Iesum Christum esse inalterabilem imaginem & filium immutabilem patris æterni immutabilis & inalterabilis. *Deinde*: Iesum Christum assumptam suam humanam naturam per unionem cum divina in communicationem majestatis Dominicæ & excellentiæ supremæ evexisse. *Tertiò*: filium Dei fuisse aliquando Carnis expertem, invisibilem, intractabilem, temporis, quo inciperet esse, nescium, sed in pura æternitate considerandum. *Quartò*: Iesum Christum omni tempore fuisse. *Quintò*: Eundem semper esse summum Sacerdotem. *Sextò*: Eidem competere *hodie* simplicis & absolutæ æternitatis, & initium & finem excludentis. *Septimò*: proinde Iesum Christum etjam ante secula extitisse, ante exordium mundi, ante ortum omnium. *Octavo*: Iesum Christum esse eundem, qui Iosuæ dixit *c. 1. 9. non derelinquam te &c.* & quæ sunt alia, quæ è scriptoribus laudatis elici possunt.

§. 9.

§. 9. Nunc ad obtinendam veræ explicationis certitudinem singula in nostro pronunciato accuratius ponderabimus.

CAP. IV. Textus Apostolici subjectum primum explicatur. In prælect. ad Hebr. 2. 14.

Occurrit verò considerandum 1. SUBIECTUM divini pronunciati. 2. PRÆDICATUM. SUBIECTUM est Ἰησοῦς Χειστός. Nomen Iesu latè alibi expendimus. Nunc unum & alterum ex antiquitate de eodem observare lubet. Describitur illud in Sibyllinis Oraculis *l.* 1. *ex edit. Obsopæip.* 184. his versibus.

Locus ænigmaticus ex libr. Sibyllinis discutitur.

Δὴ τότε καὶ μεγάλοιο Θεοῦ παῖς ἀνθρώποισιν
Ἥξει σαρκοφόρος, θνητοῖς ὁμοιούμενος ἐν γῇ.
Τέσσαρα φωνήεντα φέρει. τὰ δ' ἄφωνα δύ' αὐτῷ
Διστῶν ἀγγέλων. ἀριθμὸν δ' ὅλον ἐξονομήνω,
Ὀκτὼ γὰρ μονάδας, τόσσας δεκάδας ὅπι τούτοις
Ἠδ' ἑκατοντάδας ὀκτὼ ἀπιστοκόροις ἀνθρώποις
Οὔνομα δηλώσει. σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ σῇσι νόησον
Ἀθανάτοιο Θεοῦ χειστὸν παῖδ' ὑψίστοιο,

h. e. è transl. Castalionis:

Tunc ad Mortales veniet, mortalibus ipsis
In terris similis, natus patris omnipotentis,
Corpore vestitus. Vocales quattuor autem
Fert, non-vocalesq; duas, binûm geniorum.
Sed quæ sit numeri totius summa docebo.
Namque octo monadas, totidem decadas super ista.
Atque hecatontadas octo infidis significabit
Humanis nomen. Tu verò mente teneto
Æterni natum Christum summique parentis.

Isto enim ænigmate significatur nomen IESU, Servatoris nostri, quod constat Græcè scriptum Ἰησοῦς ex quatuor vocalibus literis, & duabus consonantibus, quæ literæ in linguâ Græca efficiunt 888. h. e. octo hecatontadas, octo decadas & octo monadas. I. 10. η. 8. σ. 200. ο. 70. υ. 400. ς. 200. Vocantur autem ἄφωνα Consonantes, literis in ἄφωνα & φωνήεντα divisis. Notat Obsopæus variam lectionem occurrere circa illa verba, τὰ δ' ἄφωνα δύ' αὐτῷ Διστῶν Ἀγγέλων. *Regij codicis* scripturam esse: φέρων τάδ' ἄφωνα ὄντα ἐν αὐτῷ διστόντ' Ἀγγέλῳ. *Pithœani* verò: Τὰ δὲ ἄφωνα ἐν αὐτῷ διστῶν ἀγγέλων ἀριθμὸν. &c. *Ramonetus* legit: Τὸ δὲ ἄφωνον ἐν αὐτῷ διστὸν: ἀπαγγέλλων ἀριθμὸν δ' ὅλον ἐξονομήνω. Est enim consonans unica in ea dictione, nempe σ sed duplex: h. e. bis posita. *Aurati* lectio quam proxi-

Sibyllini vaticinij variæ lectio.

proximè accedit : Τὸ δὲ ἄφωνον ἐν αὐτῷ, δίπλοῦ· ἄγγελλον. Vnica est illi muta, sed bis sonans. Vulgata versio habuit, τὰ δ' ἄφωνα ὃν αὐτῷ &c. sed neque versus ratio constat, neque Sententia. Itaque ubi est ὅν, legendum est δύ'. In qua sanè facilis fuit lapsus, quod inferior pars literæ δέλτα superiore avulsâ figuram habet literæ ο, superior item asperi spiritus, media pars autem literæ, quia graciliore tractu calami exaratur, facilè potuit exolescere. Litera autem νῦ, qualis in fine scribi solet, ν, facilè ex υ facta est, subjecta infra partem priorem linea, & deleta Apostrophe, quæ sequebatur. Sed quid sit, *binûm geniorum*, neque satis intelligo, neque versus satis constat, nisi ἀγγέλων dicamus penultima longa, qua licentia usus est Homerus in μέλῳ & ἐλώεια. Quod si ita est, significat Sibylla, duos esse genios, quorum nomen à litera σ. incipiat, quorum unum alicubi nominat ipsa Sanielem, alter qui sit, non video. Sed nihil hîc affirmo. Ita *Castalio. Hadr. Turnebus* sequitur cusam lectionem, nisi quod διῶν ἀγγελιῶν scribat, quod interpretatur *duarum syllabarum*, quod scil. vox Iesus duabus constet syllabis. Sed ubi ἀγγελία notet idem quod *syllaba* non liquet. Illud vero notandum est, si ea obtinet lectio, quæ habet, consonas geminas in nomine Salvatoris esse initiales nominum *duorum angelorum*, seu ut Castalio more suo interpretari amat, *duorum geniorum*, quorum unum Sibylla vocat Sanielem, magnum argumentum exinde nasci nobis, hos libros Sibyllinos suppositicios esse. Sunt enim Rabbinico & Valentiniano commento hoc ipso conspersi, quod duos angelos comminiscuntur, quorum nomina à S. incipiunt. Notum est, quomodo in libro Henoch, Rabbinicis & Thalmudicis fabulis confertissimo, plurima Angelorum nomina recensentur, inter quæ aliquot ab S. incipiunt. Fragmenta ex illo & angelorum nomina protulit Iosephus Scaliger *in animadverſ. Euſeb.* Sic & quidam Angelus *Sealthiel* nominatur inter illos septem angelos Principes astantes throno divino, quos credunt nonnulli Pontificij. Quorum celebris est memoria in Sicilia, Neapoli, Venetijs, Romæ, alijsque Italiæ urbibus, ubi & *imagines eorum* NB. affabrè, quin & opere Mosaico expressæ cernuntur. De quibus editus est libellus Neapoli A. D. 1594. & templum Panormi urbe Siciliæ primaria illis dicatum extat, in quo A. D. 1516. vetustæ eorum effigies repertæ sunt. Cujus Rector Antonius Duca dicitur DEI instinctu crebrò admonitus Romam venisse A. 1527. ut eorundem cultum ibidem promoveret, ijsdemque Ecclesiam vel inveniret vel appararet: *post multas*

Conf. Pentad. diss. 14. th. 50.

multas autem orationes & jejunia, cœlesti lumine illustratus cognovisse, Thermas Diocletiani locum esse septem spirituum ante Deum adstantium, utpote in quibus fabricandis laborassent tot corporei angeli, puta quadraginta Christianorum & dena Martyrum millia ad id damnata, in quibus excelluerunt septem illustres Martyres, Cyriacus, Largus, Smaragdus, Sisinnius, Saturninus, Marcellus, Thrason, qui Christianos in illis laborantes animabant, suisque opibus alebant. Purgatis ergò thermis locum A.1551. à Philippo Archinto Vicario Generali Iulij III. dedicatum fuisse B. Virgini angelorum, sive septem angelis stipatæ & circumdatæ. Cumque per bella rursum locus hic neglectus & profanatus esset, iterum Anno 1555. alia visione significatum fuisse divino decreto, thermas hasce ad honorem septem angelorum in templum consecrandas esse. Vnde Pium IV. Pontificem auditis rationibus & revelationibus negotium dedisse Michaeli Angelo Bonarotæ nobili Architecto, ut formam templi in thermis hisce delinearet & appararet. Quo facto Pontificem ipsum indicto Cardinalium cœtu d.5. Aug. A.1561. coram Cardinalibus, tota Curia & Populo Romano Pontificalibus indutum thermas in honorem S. Mariæ Angelorum solenni precc & ritu dedicavisse, illamque Ecclesiam titulo Cardinalitio ornavisse, eòq; ex Ecclesia S. crucis in Ierusalem transtulisse monasterium Patrum Carthusianorum. Eandem postea novis privilegijs & ornamentis illustrasse Pium V. & Gregorium XIII. ita memorat Cornelius à Lapide *Comm. in Apocal. 1. vers. 4.* quem refellit Ludov. ab Alcasar *in Vestig. arc. sens. Apoc. h.l.* Id vero notandum est, *Sealthielis* nomen, cum alijs tribus, quæ sunt *Vriel, Iehudiel, Barachiel*, judice ipso Lapidensi, incertum esse. Ita enim ait: *Sola tria angelorum nomina agnoscit & colit Ecclesia, uti asserit concilium Romanum, cui præfuit Zacharias Pontifex, quod citatur in vita S. Bonifacij apud Surium mense Iunio f. 598. & à Baronio A. 745.* Pergit idem. *Hoc intellige, quod Ecclesia plura Angelorum nomina non agnoscat, sc. quæ ex scriptura Canonica aut Ecclesiastica traditione certa sunt.* Atqui si plura nomina non sunt nota ex divina aliqua revelatione, quam tria, quæ angelis competunt, quomodo duo erunt nomina angelorum à σ incipientia, uti θεόπνευς & credita Sibylla prætendit? Pergit idem. *Nam alioqui Vrielis nomen admittit S. Ambrosius l.3. de fide ad Gratian. c.2. Isidorus l.7. c.5. illudque habetur in Missa Mosarabum, quæ extat T.4. B.S.P.* & post. *Porrò: nomina septem Angelorum divinitus fuisse revelata B. Amadæo viro sanctitate, miraculis & Prophetijs illustri, legi in chronicis Ecclesiæ S. Mariæ Angelorum paulò ante ejus obitum, idque contigisse sub annum Domini 1460.* Idem tamen Cornelius parum tribuit authorita-

thoritatis revelationibus Amadæi, cujus angelus, uti ille refert, habebatur pro *Scotista*. Sanè Concilium Romanum *Anno Domini* 745. habitum sub Papa Zacharia, omnia angelorum nomina, præter tria *Michaelis, Gabrielis & Raphaelis*, magis dæmonum nomina judicat, inter quæ etiam est *Vrielis*. Vnde Baronius *Tom. 9. Annal. Eccles. An. 745. n. 36.* infert, *perspicuè intelligi, librum quartum Esdræ nomine vulgatum, in quo frequens est mentio angeli Vrielis, ab Ecclesia Romana proscriptum penitusq; esse rejectum.* Quanquam Genebrardus Sorbonista valdè pro ejus Canonica autoritate sudaverit. Neque igitur *Sanielis*, néque *Barachielis*, neque Iehudielis, neque ullum aliud ejusmodi nomen Angelis tributum in divinis libris & revelationibus locum habet. Proinde meritò libri Sibyllini, uti hodiè extant, suspectæ sunt fidei. Sed videsis de autoritate Sibyllinorum Carminum digladiantes Cæsarem Baronium *in appar. annal. Eccles.* Isaacum Casaubonum *exerc. 1. adverss. Baron. s. 10. & seqq*, Ioh. Obsopœum *in præfatione Carm. Sibyll.* Richardum Montacutium *in analectis ad Baron. Exerc. 4. totâ*, Erasmum Schmidium *in Sibyllinis*, Eribert. Rosvveidum *in Retaliat.* Iac. Capellum *in c. 11. Vindiciar. contra Rosvveidum. &c.*

Nom. Iesus in Acrostichide Sibyllina cõsideratur.

Eusebij de ea judicium.

§. 10. Extat etiam nomen *Iesus* in *acrostichide Sibyllina*, quæ extat *lib. 8. Oracul. Sibyllin. pag. 381.* quæ initialibus singulorum versuum literis exprimit Ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτὴρ, σταυρός. *Iesus Chreistus Dei filius, Servator, Crux.* Meminit ejus Eusebius Cæsarienses *Epis. de Vita Constant. c. 18. p. 343. edit. Christophorsoni. Sibylla Erythræa*, inquit, *quæ se sextam post diluvium ætate fuisse affirmat, quæq; Sacerdos erat Apollinis, corona similiter cum Deo illo, quem colebat, redimita, quæ etiam tripodem serpentis amplexu circumplicatum observans, ijs, qui quicquam ab ipsa sciscitabantur, respondit, se parentum insciția illi cultui dicatam fuisse, quem cultum nihil in se complecti, quod ad honestatem faceret, sed hominum animos pudore spoliare, non aliter atque historici de Daphne prodiderunt. hæc inquam Sibylla quodam tempore intra adyta illa, in quibus tam absurda & planè inepta superstitio usurpari solet, concluſa & divino quodam instinctu afflata, versibus ea, quæ erant de DEO futura, prædixit, notisq; & ordine primarum literarum, quæ ἀκροστιχὶς dicitur, historiam de Iesu adventu declaravit.* Et postea integram illam proponit. Cap. verò 19. pro ejus autoritate & veritate depugnat, contra multos, qui nullam fidem ei adjungunt. Rationibus his utitur: quia *Christiani tempora adeò accurate & magno studio collegerunt, ut nemo possit suspicari, hoc poema post Christi in terras descen-*

sum

sum editum fuisse, atque illi propterea mendacij perspicuè convincantur, qui ista carmina non olim à Sibylla esse condita prædicant; quia Cicero istud poema, cum fortè perlegisset, in latinum convertit sermonem, suisq; scriptis attexuit, quem ab Antonio rerum summa potito interfectum constat, qui Antonius ab Augusto, qui quinquaginta sex annos regnavit, superatus est, cui Aug. successit Tiberius, cujus temporibus Servatoris adventus mundo illuxit, & sanctissimæ religionis mysterium vigere cœpit; quia demum Maro manifestè ad Sibyllina carmina alludit, quando in suis poematibus de nova progenie, cœlo demissa, de ultima Cumæi carminis ætate, de redeunte Virgine & novo seculorum ordine, de nascente puero sub quo desinente ferrea gens aurea mundo surget, &c. varia, nescius quem ista Arcana attingerent, cecinit. Augustinus lib. XIIX. de Civ. Dei cap. 23. Augustini. ita de Sibyllinis his versibus scribit: *Erythræa Sibylla quædam de Christo manifesta conscripsit, quæ etiam nos in latina lingua versibus male latinis & non stantibus legimus, per nescio cujus interpretis imperitiam, sicut post cognovimus. Nam vir clarissimus Flaccianus, qui etiam Proconsul fuit, homo facillimæ facundiæ multæque doctrinæ, cum de Christo colloqueremur, Græcum nobis codicem protulit, carmina esse dicens Sibyllæ Erythrææ, ubi ostendit, quodam in loco in capitibus versuum ordinem literarum ita se habentem, ut hæc in eo verba legerentur,* Ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱὸς Σωτὴρ, *quod est latinè,* Iesus Christus Dei Filius Salvator. *Et post. Sunt versus viginti septem, qui numerus quadratum ternarium solidum reddit. Tria enim ter ducta fiunt novem. Et ipsa novem, si ter ducantur, ut ex lato in altum figura consurgat, ad viginti septem perveniunt. Horum autem Græcorum quinque verborum si primas literas jungas, erit* ἰχθύς, *i. e. piscis: in quo nomine mysticè intelligitur Christus, eò quod in hujus mortalitatis abysso velut in aquarum profunditate vivus, hoc est, sine peccato esse potuerit. &c.* Confer & Ludovic. Vivem *in Comm. h. l.* Isaacus Casaubonus *in exercit. adversus Baroniū exi. s.* 10. ita scribit de his versibus. Casaubo-ni. *Eusebij disputatio in vita Constantini super vaticinijs Sibyllarum de Christo non valde eum movebit, qui singula cum judicio expenderit. Cui enim persuadebit Eusebius illam acrostichidem, quæ Iesu Christi nomen præfert, visam Ciceroni fuisse, & in suos libros translatam? aut quis illi assentietur, mortem Christi & passionem Virgilio fuisse probè notam? nisi putamus, homini pagano, idolis servienti, ante adventum Christi fuisse revelatum mysterium, quod discipulis ipsius Servatoris nostri, qui tertium jam annum operam illi dederant, institutique ab ipso fuerant, paucis diebus ante Domini mortem erat occultum & ignotum. Quod autem ait Eusebius,* τὸς πολλὸς τῶν ἀνθρώπων ἀπιστεῖν, plerosque mortalium

lium rejicere testimonia Sibyllarum in causa fidei, *non de Paganis solum accipi debet, sed etiam de Christianis, viris eruditis & judicij limatioris, quibus de fraude subolebat. Verissimè B. Augustinus, lib. 18. cap. 47. de C. D. Quæcunque aliorum Prophetiæ de Dei per Christum Iesum gratia proferuntur, possunt putari à Christianis esse confictæ, ideò nihil est firmius ad convincendos quoslibet alienos, si de hac re contenderint, nostros q; fulciendos, si rectè sapuerint, quam ut divina prædicta de Christo ea proferantur, quæ in Iudæorum scripta sunt codicibus. addit prudentissimè: Iudæos propter hoc testimonium de sedibus suis avulsos toto orbe fuisse dispersos. Scio Origenem contra Celsum, qui hoc nomine Christianos acriter suggillabat, ad vetusta exemplaria provocare, in quibus inveniantur, neque nos sanè negamus, multa divinitus potuisse dici à Paganorum vatibus, non minus quam ab asina Bileami: illa tantùm rejicimus, quæ arcana religionis nostræ apertius explicant, quam factum sit unquam à DEI Prophetis.* Hæc Casaubonus. Præivit Casaubono Iohan. Obsopœus *in notis in orac. Sibyllina pag. 61. & seq.* Ita autem disserit: *Hujus acrostichidos ab Aldo & Giraldo olim editæ, nulli veterum præter Augustinum & Eusebium meminerunt. Eandem tamen eruditi censent, quam Cicero viderit & legerit, ut colligunt è loco lib. de Divinatione secundi. Sed quia de illo carmine Cicero dubitat, hæc ei Castalio respondet: Quod dicit Cicero, Sibyllam hominum temporum q; definitionē callidè sustulisse, non verè dicit. Nam ea ad finem secundi libri apertè dicit, tum venturum esse illum Regem immortalem, totiorbi dominaturum, cum Romæ Ægypto imperare cœpisset: id quod accidit paulo post Ciceronem, sub Augusto, quæ religio jam hominum animos occupaverat, cum de reducendo in Ægyptum Ptolomæo ageretur, | : ut est in prima familiarium epistol. Ciceronis: | qui Ptolomæus à Gabinio reductus est. Præterea in lib. 1. dicit, tum eum esse venturum, cum esset Iohannes Baptista ab Herode occisus. Iohannem vocem quandam appellans in deserto clamantem. Sed qualis futurus esset ille Rex nescivisse Romanos, ideò minus mirum est, quod ne Iudæi quidem sciverunt, putantes fore terrestrem, cum futurus esset divinus & cœlestis, id quod ex Sibylla cognosci potest, cum Deum vocat & nostra causa supplicio affectum. Quod autem dicit de acrostichide Cicero, malè omninò colligit. Quasi verò sit difficilius DEO vates agitanti talia fundere carmina ex tempore, quam Ennio adhibito & tempore & diligentia. Hæc Castalio: Ego verò etsi lubens erudito Doctorum Virorum consensui subscribo, duo tamen sunt, quæ assensum inhibere possint. Primum, quod Iustinus Martyr, Theophilus Antiochenus, Athenagoras, Clemens Alexandrinus, & Firmianus Lactantius, crebri Sibyllinorum*

Obsopoei.

norum oraculorum laudatores, ne verbo quidem hujus acrostichidis usque meminerunt. Ac de prioribus quidem forsan excusatio aliqua afferri posset, de posteriori verò, h.e. Lactantio, quid dicemus, quatuor versus tribus libri 7. intervallis figillatim adducente, qui in hac acrostichide pscripti extant? Putamusne virum diligentißimum & adhibendis Sibyllæ testimonijs accuratißimum, rem tanti ad gentilium ora obstruenda momenti silentio fuisse præteriturum? imò audacter acrostichidis seriem inversurum, & autoritatem ejus temerè elevaturum? Nam qui versus ordine octavus per ϱ incipit ϱιψασιν, apud Lactantium per τ præfixum scribitur. τρίψασιν. Deinde dissensio est inter Lactantium & Augustinum, at q3 Eusebium de autore istorum Versuum. Hi duo acrostichidem Erythræa tribuunt, ille versuum, quos citat, autorem aliâ ab Erythræa expreßè ponit. Sed & Augustinus ab Eusebio dißidet in acrostichidis titulo è versuum capitibus proveniente: quod hic vocem σανρὸς superaddat, ille omninò non agnoscat, neque in lib. de Civit. Dei, neque in oratione ad Catechumenos. Ista, inquam, me dubitare faciunt: sententiam suam fortè interponent alij. Hæc Obsopœus. Illud etiam non est prætermittendum ex vera lectione Sibyllinorum, quam probatissimi Cod. firmant, itemque ex Eusebiana recitatione acrostichidis ex capitibus literarum nomini Christi inseri e, ut χριστὸς legatur propter versum. Ἐκκαύσει δὲ τὸ πῦρ γῆν, ὑρανὸν, ὕδε θάλασσαν, quem malè omittunt nonnulli, ut ad veram scriptionem nominis Christi reducerent capita Versuum, non animadvertentes, sensum carminis mancum esse & hiantem. Et Augustinus illum versum sua translatione acrostichidis exprimit. Est autem monstrosa scriptio χριστὸς. Richardus Montacutius *in analectis ad Baron. exerc. 4. p. 145.* disputat de acrostichide ista cum Casaubono. Primò eum reprehendit, quod per τὸς πολλὸς τῶν ἀνθρώπων, qui dicuntur ἄπιστοι, etiam intelligat *limatioris judicij Christianos.* Certô enim, inquit, *certius*, ὁ τῦ παμφίλυ *in illa concione Constantini ad sanctorum cœtum c. 19. de Paganis tantummodò est intelligendus, non item de Christianis aliquibus limatioris judicij, quemadmodum rebatur exercitator. Nam non ait* ὁι χριστιανοὶ, aut ὁι πολλοὶ τῶν χριστιανῶν, *sed* ὁι πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων ἀπιστῦσι. *Plerique mortales hoc non credunt, inquit. In latitudine totius universitatis. Sed adhuc & hos ipsos* πολλὸς & ἀνθρώπυς *opponit statim* τῇ ἡμετέρᾳ, *ut loquitur ipse,* θρησκείᾳ. *Ad nostrum verò cultum & religionem non acceßerant, qui gentilismo adhærebant. Sed apertius adhuc idem paulò post: ubi docet Christianos, politos procul dubio & limatioris judicij, demonstrasse, quod nullo unquam modo fieri poterat, ut hoc poema vaticiniorum post Chri-* Montacutij.

stum incarnatum ab hominibus Christianis compositum fuerit. Postea addit. Non persuaderi sibi voluit Casaubonus acrostichidē illam, qua Iesu Christi Servatoris nomen literis initialibus exaratur, Ciceroni olim visam, quamvis Eusebius hoc affirmet. At verò non affirmat hoc Eusebius, nec persuadere contendit de acrostichide visa Ciceroni, illa saltem acrostichide. Nec ipse Cicero se vidisse hanc acrostichidem, uspiam insinuat in libris divinationum. Acrostichis illi visa quædam: hoc certum est. Poema quoddam Sibyllæ in Latinum sermonem ipsum convertisse, Eusebius contestatur. Non tamen hoc poema pronunciat Eusebius fuisse conversum: non se hanc vidisse acrostichidem Cicero commemoravit. Quanquam certè crediderim, hanc ipsam vidisse Ciceronem, & hoc poema transtulisse in suos libros alicubi: licet nunc non extet apud illum. Dixisset apertè hæc Eusebius: quæ ratio suadet, ut non illi potius ante tot secula scriptori, vel adversarijs judicibus, eruditissimo adhibeatur fides, quam uni atque alteri nuper natis, & non rarò in Eusebij contumeliam debacchantibus. Hæc Montacutius. Cui in primo planè subscribimus. In posteriori, cum primùm excipit, Eusebium non asserere, hanc acrostichidem visam & versam Ciceroni, manifestè falsus est Mōtacutius. Probaturus enim hanc acrostichidem antiquiorem solenni prædicatione Evangelij per Christianos, adducit Ciceronem, quem contigerit incidisse in τὸ πρόημα. Frustra is adducitur, si non est hæc acrostichis, in quem inciderit Cicero. Illud autem vero non est absimile, quia Cicero in divinationum secundo meminit *acrostichidis Sibyllinæ*, & in Sibyllinis carminibus præter hanc nulla alia reperitur, exinde collegisse Eusebium, Ciceronem hanc ipsam vidisse. Quæ collectio an certa sit, penes doctos judicium esto. Iac. Gretserus Iesuita Tom. 1. de cruce lib. 1. cap. 49. autoritatem huic ἀκροστίχιδι nititur conciliare è Tertulliano & Optato Milevitano. Tertullianus *de Baptismo adversus Quintillam* cap. 1. *Nos pisciculi secundum ἰχθῦν nostrum Iesum Christum in aqua nascimur. Nec aliter quam in aqua permanendo salvi sumus.* Franc. Iunius in notis. *ἰχθῦς nomen est ἀκροστιχίδιον ex Sibyllinis versibus & vulgata ejus apud Christianos appellatione, in hunc modum.* I. Ἰησοῦς. χ. χριστὸς. θ. θεοῦ. υ. υἱὸς. σ. σωτὴρ. Optatus Milevitanus *contra Parmen. lib. 3. Hic est piscis, qui in baptismate per invocationem fontalibus undis inseritur, ut quæ aqua fuerat, à pisce etiam piscina vocitetur. Cujus piscis nomen secundum appellationem Græcam in uno nomine per singulas literas turbam sanctorū nominum continet. ἰχθὺς, quod est latinè: Iesus Christus, Dei filius, Salvator.* Neuter tamen facit hic mentionem Sibyllini carminis. Et

Gretseri.

potuit

potuit ejusmodi collectio literarum in nomen ἰχθὺς è nominibus Salvatoris fieri etiam non prælucente Sibylla. SUMMA. Non est omninò certa hujus acrostichidis autoritas, quanquam antiquissimis Ecclesiæ temporibus nota fuerit. Militant contra eam considerationes non contemnendæ.

§. 11. Illud etiam placuit hoc loco annotare, Celtas antiquos coluisse inter Numina sua quoddam, cui nomen HESUS. Lucanus *lib.* 1. tres refert Gallorum sive Celtarum DEOS præcipuos, humanis hostijs placari solitos, his versibus. *Ex quibus immitis placatur sanguine diro* Teutates, *horrensq; feris altaribus* HESUS, *& Taranis Scythicæ non mitior aræ Dianæ.* De quo Heso Philippus Cluverius *lib.* 1. *German. antiq. cap.* 28. *p.* 243. *Hesum esse Martem* (Consentit Cluverio Omnibonus Vicentinus *comm. in Lucan. h. l. Esus, ut quidam volunt, Mars dicitur*) *ex eo conjecerim, quod feris altaribus horrentem cognominat. quod Marti convenire jam antea cap.* 22. *ex Tacito didicimus. Cui consentiens Cæsar comment. VI. Martem, inquit, bella regere arbitrantur. Huic cum prælio dimicare constituerunt, ea quæ bello cæperint, plerunque devovent. Et Iornandes in lib. de rebus Gothicis: Martem semper asperrima placaverunt cultura, nam victimæ ejus, mortes fuêre captivorum. Nomen igitur alterum apud Celtas fuisse arbitror Thies, ex quo factum adspiratione abiecta Ties. Vnde Septentrionales antiquitatem linguæ mirum in modum præreliquis Germanis in plerisque servantes etiamnum habent* Tÿsdag. *Et Rhenioştiorum accolæ mutata litera adspirata in molliorem* Dÿsdag. *his quippe ÿidem sonat, quod Septentrionalibus, geminum ii, & superioribus plerisque Germanis diphthongus ie. posteriores denique adjecta pro ratione Grammatices una syllaba, fecêre* Dysendag/ *sive* Thiessendach). *Postremi verò hoc iterum contrahentes metathesi quadam literarum dixere* Dinstag/ *& alij pœullum iterum dilatantes,* Dingesdag/ *alij interim jam ab initio* θ *vertentes in* ζ. (*quod etiam ex* θεῦθ *in* ζεὺς *factum, ostendi*) *pro* Thiesdag *dixerunt* Ziestag/ *& deinde modo prædicto* Zieſſentag/ *tandem* Zinstag. *Lucanus verò* τ, *ex* θ, *metri causa abjecisse videtur: unde effectum vocabulum* Hesus *pro* Thesus: *sive hoc quoq; dialectorum aliqua apud Gallos sic ferente. Lactantius lib.* 1. *de falsa religione cap.* 21. *hujus etiam Dij Gallorum meminit, quanquam in diversis exemplaribus modò Esus, modò Heus legitur, evidentißimo argumento vocabulum esse corruptum; quia tamen in hoc est* H, *& in illo S. restituendum ex Lucano censetur integrum sanumque nomen* HESUS. *Nam ex Lucano id nominis desumsisse Lactantium, haud dubium est.* Idem Cluverius cap. 29. sequente ostendit, Priscos Germanos & Gallos unum

Hesus Celtarum *Deus.*

Cluverius de eo.

num verum æternum Deum in Trinitate coluisse sub solis, Lunæ, & Ignis, hoc est, Iovis, Martis & Mercurij nominibus: quod suo loco relinquimus.

videatur Bozius de signis Ecclesiæ. Conformit. Frãc. autor de nomine IESUS.

§. 12. Demum, quia Pontificij tantopere sibi omnis sapientiæ possessionem vendicant, uti omnes nos ex ejus fructu deturbét, ideoque placuit annotare, quæ de nomine Iesu habet Bartholomæus de Pisis Franciscanus *in lib. de conformitatibus Francisci cum Christo, lib. 2. fruct. 9. confor. 21. part. 1. pag. 193. edit. Mediolanens. ab 1510.* & velut κειμήλια observat. Sic autem scribit: Nomen Iesu duas naturas explicat in Christo, divinam & humanam & unam personam, prout dicit Papa Innocentius in suis sermonibus & allegat S. Antoninus noster in suis sermonib⁹, dicés: Hoc nomé Iesus duas (*sanè nõ secundum originationem Græcam*, Ἰησοῦς *enim trisyllabum est*) habet syllabas, quod Iesus duas habet naturas, divinam videl. & humanam: divinam ex patre, ex quo natus est sine matre: humanam de matre, ex qua natus est sine Patre. Duæ ergò syllabæ in hoc sunt nomine, quod duæ sunt naturæ in hac una persona. Habet quinq; literas, tres vocales, & duas consonantes, vocalis est illa, quæ habet vocem per se: consonans est, quæ reddit vocem cum alia. Per tres ergò vocales signatur Deitas, quæ cum sit una per se sonans in tribus personis. Nam tres sunt, qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum & Spiritus S. & hi tres unum sunt. Per duas consonantes signatur, quod cum habeat duas substantias, videl. carnem & animam, non sonant per se, sed magis cum alia, cui conjuncta est in unitate personæ. Nam sicut anima rationalis & caro unus est homo: ita Deus & homo unus est Christus. Persona siquidem dicitur rationalis substantia per se sonans; quæ est Christus Deus quidem & homo. Sed Deus per se sonat in quantum Deus, non autem in quãtum homo, quod Deus recepit humanitatem, illius personalitatem non assumens: sed humanitas accepit Deitatem & illius Deitatis personalitatem, & persona non assumsit personam, sed natura naturam assumsit. Hæc S. Antoninus. Mirari quis meritò posset, cur non ex tribus vocalibus, per quas ceu vinculo quodam animantur & uniuntur consonantes, concluserit triplicem illam unionem, de qua Mag. Alanus Porretanus, è scholasticis vetustiss. in libello seculo 14. excuso de regulis cœlestis juris seu maximis Theologiæ, maximâ 102. verba sunt: *Ad hoc quod Christus esset homo, triplex concurrit unio; unio compersonalis, ut humana natura esset: unio subpersonalis, ut viveret; unio propersonalis, ut homo fieret. Personalis unio est, quæ rem facit esse personam, quæ in creatura pura*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746345968/phys_0032
DFG

pura attenditur, ut in puro homine. Exeo enim quod homo fit unum ex unione corporis & animæ, incipit esse persona, id est, res per se una. Talis unio non fuit in Christo homine: non enim Christus in eo, quod cœpit esse homo, cœpit esse persona; Personalis verò unio fuit in Christo. Vnio enim corporis & animæ, quæ fuit in eo, similitudinem unionis personalis habuit, unde properſonalis dici potuit, & illa specialiter operata est ad hoc, ut Christus esset homo. Subpersonalis unio dicitur, unio spiritus physici ad corpus & animam Christi. Physicus autem spiritus dicitur quoddam corpus subtile, quod corpus vegetat, subtilius aëre, minus subtile igne: & talis est in brutis animantibus & operatur vitam. Hoc spiritu mediante anima unitur corpori. Habet enim affinitatem cum anima in agilitate & subtilitate, cum corpore verò in corporeitate. Anima ergò unita est verbo sine medio, spiritus verò mediante anima: corpus verò mediante spiritu. Compersonalis unio fuit unio corporis & animæ ad verbum. Istæ ergò uniones concurrunt ad Christi incarnationem, nec aliqua fuit sufficiens sine alia. Hæc Alanus, novo stylo & orthodoxæ antiquitati ignoto. Similia habet etiam Guil. Durandus Mimatensis Episcopus *in rationali divinorum officiorum*, commendatione Ioh. Aloysij Tuscani Auditoris Cameræ Apostolicæ, ad Petrum Cardinalem Tirasonensem edito Lugduni, p. 200. In quibus habet Theodorus Beza, quo se contra Pontificios tueatur, quod in Christo duas uniones hypostaticas statuerit, sicut ei objicit Rob. Bellarminus *in præfat. ad lib. de Christo §. quod idem.*

§. 13. Nomen Christus etiam à nobis alibi latissimè expensum est; nunc unum atque alterum tantùm de eo observabimus. Gabriel. Vasquez. *in Tom. 3. 1. part. Thom. q. 16. art. 9. disp. 67. cap. 2. n. 6. 7. 8. 9.* de nomine hoc ita disputat. *De nomine,* Christus, *variæ sunt Patrum sententiæ. Nam Damascenus 3. de fide cap. 3. non longè à principio inquit, esse nomen suppositi, connotans in eo duas naturas, his verbis:* Christi porrò vocabulum personæ esse dicimus, ut quod non omnimodè dicatur, sed duplicem naturam significet: ipse enim seipsum unxit. *Idem docet* Nicetas *l. 3. thesaur. cap. 3. Censent igitur hi Patres, hoc nomen* Christus, *esse nomen suppositi, non quomodocunq; sed ita ut connotet duas naturas in eodem supposito, quia idem seipsum unxisse dicitur, unde vocatur* Christus. *Contrà verò plures alij Patres putant esse nomen naturæ, ita ut significet naturam humanam unctam, seu illum hominem Deitate ipsa unctum & sanctificatum. Ita Origenes in illud Ioann. 1.* In principio erat verbum: *explicans illud Ps. 44. propterea unxit te Deus, inquit, vocabulum Christi ad eam naturam qua homo*

Vasquez. de nomine Christi.

homo est, præcipuè pertinere. Idem sentit Athanasius orat. contra Arianos post quartum sermonem, in illa verba: Ex Deo Deus est Verbum. *Ita enim loquitur in persona Christi:* Ego enim sum Chrisma sive unctio, Christusque sive unctus homo est, qui à me assumtus est. *Vbi unctum & Christum dicit esse hominem assumtum, nempe naturam ipsam humanam. Nec minus perspicuè idem dixit Paulinus Aquileiensis in libro sacro syllabo, apud Concilium Francofurdiense. Nam ante medium libri, contra eos, qui dicebant, Christum esse filium Dei adoptivũ, objicit confessionem Petri, cum apud Matth. c. 16. dixit,* Tues Christus filius Dei vivi. *Ex quo colligit, ipsum non esse adoptivum. Nam filium Dei vivi opponit Filio adoptivo; quia tamen aliqui possent respondere, id non dixisse Petrum de Christo secundum humanitatem, sed secundum Divinitatem, horum fallaciam rejicit his verbis.* Sed quoniam cum additamento dixerat, tu es Christus Filius Dei vivi, omnium hæreticorum ora fidei suæ pugno attrivit. Christi namque nomen, ab homine, quem assumsit, accepit, quia unctus in homine fuit. *Ex quibus concludere contendit Paulinus, Christum etiam hominem non esse filium adoptivum; siquidem Christus, cujus nomen ab homine sumtum est, est filius Dei vivi. His etiam adde Fulgentium lib. 3. ad Trasimundum c. 13. & 14. ubi fusius multò id ostendit, & postquam in fine præcedentis capitis adduxerat illud ℣. 44.* propterea unxit te Deus &c. *in principio capitis 13. inquit.* Hanc autem unctionem ad hominem potius referendam, beatus Petrus ostendit dicens, Act. 10. Iesus à Nazareth, quem unxit Deus Spiritu sancto & virtute: quæ igitur à Nazareth, nisi humana Christi natura potuit prædicari? *& cap. 14. post medium ait:* David enim dicit, unxit te Deus Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis, & utique hominem significat, cũ participes nominat. *Et in fine capitis concludit hoc modo:* sicut Deus Christus in homine nomen hominis sumsit (nempe quia sumsit nomen Christi, quod est nomen hominis) sic idem Christus in DEO vocabulum Deitatis accepit. *Sentit igitur, Christum esse nomen humanæ naturæ, & accepisse nomen Deitatis, contra verò Deum esse nomen naturæ divinæ & accepisse nomen naturæ humanæ, cum dictus est Christus. Quin imò ex ipso Damasceno hoc colligi videtur. Nam, ut ait lib. 4. de fide cap. 6.* Christus *ideò dicitur, quia unctus est, id quod etiam ex nominis ipsius significatione satis constat, tam græcè, quam hebraicè. Verba Damasceni sunt:* Nam quia exultationis oleo, hoc est, spiritu à Deo & Patre perfusus est, hac demum ratione Christus nominatur. *Cum igitur dicatur Christus aut unctus ipsa Divinitate, &*

non

non divinitas humanitate, sequitur nomen unctus, aut Christus, aut Messias proximè convenire humanitati, connotando divinam naturam, tanquam unguentum & unionem cum divina persona, tanquam fundamentum hujus unctionis. Et quamvis hæc nomina videantur adjectiva, & juxta regulam à nobis traditam adjectiva præsertim posita ex parte subjecti in propositione supponantur pro habente formam, hoc tamen non obstat, quominus hæc nomina proximè sint nomina naturæ humanæ concretè significatæ, quia proximè habens hanc formam unctionis est natura humana seu homo, remotè autem ratione humanæ naturæ illam habet suppositum. Hæc Vasquez.

Vasquez discursus excutitur

§. 14. Nos paucis istud comprehendemus (I.) Nomen, *Christus*, personam *unctam* notat. Hoc enim nomen, sicut & alia divina nomina DOMINVS, DEVS, (*absolutè* & extra propositiones personales posita, in quibus concreta sunt naturæ divinæ cum connotatione hypostaseos. *Vide Gerhardum exeges. T. 1. Loc. 4. c. 9. §. 168. 169. &c.*) *Iesus, Salvator, Redemptor, Mediator*, de secuuda persona SS. Trinitatis dicta, immediatè ipsam personam designant. Sicut & idem nomen, cum Regibus, Sacerdotibus & Prophetis V. T. tribuitur, personas denotat (II.) Utrum verò illa ipsa persona non sit secundum totum id, quod in se comprehendit, unctionis capax, sic ut secundum id totum uncta persona dicenda sit, id non habemus *Vi nominis*, Christus, sed ex ipsa notitia, quam de persona habemus. Illud enim nomen, *vi sua* & significandi potestate indicat personam unctionis perfectionisque capacem, sic quando usurpatur de unctis in V. T. qui unguento corporali perfundebantur, ipsis personis tribuebatur, ast ex ipsa unguenti ratione constabat, illud ratione naturalis contactus non attingere animam, sed corpus, adeoque ipsas personas ungi secundum corpus, quamvis officium & dignitas, ad quam per unctionis ceremoniam intromittebantur, totam personam affecisset. Itaque prius ex arcanis divinæ sapientiæ principiis ostendendum est, hanc personam ex duabus naturis constare, quarum altera *ungentis & unguenti* rationem obtineat, altera verò *ungatur*: illa *unctionis* & perfectionis propter sui infinitatem sit incapax, hæc verò perfectionem unctionis recipiat. Hoc ostenso, intelligi potest, secundum quid *unctio* & *uncti* nomen *Christo* tribuatur & Christus *Christus* dicatur. (III.) Quando igitur è S. literis constat, personam SS. Trinitatis secundam ex duabus naturis constare, ita sese ad invicem habentibus, ut *ungens* & *unguentum* non sit extra naturam, secundum quam hæc persona

uncta dicitur, ungens & unguentum insuper sit Divinitas cum omni Majestate sua, natura secundum quam unctio recipitur in persona, sit ipsa assumita humana natura, & ita nomen Christi huic personæ adstringitur, tum possumus dicere; Hoc nomen, Christus, notat talem unctum, qui ungentem & unguentum, naturam divinam, nunquam & nuspiam habet extra suam humanam naturam, secundum quam unctus dicitur. Atque hoc sensu dicitur, χειστὸς τὸ συναμφότερον νοεῖται. Absolutè quidem χειστὸς utrumque significat, & ungentem & unctum. Unctum quidem formaliter, ungentem autem consequenter, quia non datur unctus, ubi non sit ungens. Ungentem autem & unctum in una persona inseparabiliter, indistanter, & intimè ita unita, ut ungens non sit extra vel ultra unctum, hoc tùm exprimit nomen χειστὸς, cum in significatus ratione eminentissima & principalissima ad secundam personam SS. Trinitatis ἐνσαρκον restringitur, de qua ista mysteria constât. His consideratis, quid de Vasquezij relatis judicandum sit, facilè æstimare est.

§. 15. Illud etiam de nomine Christi ex antiquitate Ecclesiastica observare operæ pretium est, quod in variis antiquitatis monumentis salutiferum illud nomen scriptum aut acupictum aut alio artificioso modo expressum fuerit per literam græcam

De visione signi crucis Constantinianâ.

P literæ X artificiosè insertam hoc modo . Originem

Eusebii relatio.

hujus referunt ad visionem Constantini Magni Imperatoris, qui in depulsione Maxentianæ tyrannidis perplexus, Christum precibus suis appellavit inque præsidium vocavit. *Ista precanti*, scribit Eusebius lib. 1. in vita Constantini Cap. 22. 23. 24. 25. *obnixeq; flagitanti visio quædam divina & imprimis admirabilis apparuit, quam si quis fortè alius dixisset, non tam facilè potuisset hominibus persuaderi. Verum cum Imperator ipse victor, nobis ipsis, qui hanc historiam jam literis persequimur, longo tempore post, cum notitia eram us & familiari colloquio ab eo dignati, narraret & sermonem jurejurando confirmaret, cui dubium esse poterit, quin sit rei ita commemoratæ fides omninò adhibenda, præsertim cum tempus postea consecutum ratum orationi testimonium dederit. Cum jam sol ad medium cœlum adscendisset, die in pomeridianum tempus paululum inclinante, dixit se crucis signum ex lucis splendore figuratum in ipso cœlo soli imminens manifestò oculis adspexisse, inq; eo inscriptionem consignatam, quæ hæc verba complecteretur,*

retur, in hoc vince. Admiratio ingens ipsum & totum exercitum, qui eum quopiam iter facientem comitabatur, atque adeò hujus prodigij spectator factus erat, incessit. se dubitatione admodum intra se distrahi, quid tandem ostentum illud sibi vellet, asseruit. Atque eum diu multumq; de eo cogitantem oppressit nox. Ibi ei dormienti Christum DEI cum signo in cœlo monstrato visum esse, præcepisseq;, ut exemplari ad imitationem illius signi, quod in cœlo apparuerat, fabricato, eo tanquam præsidio in prælijs cum hostibus committendis uteretur. Ille simul atque dies illuxit surgens, primum arcanum illud visum amicis exponit, deinde artificibus, qui aurum & lapides pretiosos affabrè sculpere norant, accersitis medio inter illos loco assidet, verbis signi describit effigiem, eam auro & lapidibus pretiosis imitatione adumbrari mandat. Quam quidem effigiem contigit ut nos olim oculis contemplaremur. Ipse enim Imperator, DEO illud largiente, eam nobis ostendere dignatus est. Erat autem tali figura fabricata. Hastile oblongum erectumq; auro undique obductum fuit: quod cornu habuit transversum ad formam crucis constructum. Supra in fastigio ipsius operis corona affixa, lapidibus pretiosis & auro politè circumtexta: In ea salutaris appellationis Servatoris nota inscripta duobus solum expressa elementis, id est, duabus primis literis nominis Christi (erat enim litera ρ in ipso medio literæ χ curiosè & subtiliter inserta) quæ totũ Christi nomen perspicuè significarunt, quas quidem literas deinceps semper Imperator in galea gestare consuevit. Ad cornu illius particulæ, quæ ex transverso erat per hastile trajecta, velamen quoddam pertenue appensum adhæsit, regalis videlicet & pertenuis textura, mirabili varietate lapidum pretiosorum artificiosè conjunctorum, luciśq; suæ claritate pulchrè resplendescentium depicta & multo auro intertexta, quæ dici non potest, quantam spectatoribus ob suam pulchritudinem excitaret admirationem. Istud igitur velamen ad cornu affixum, longitudinis, latitudinisq; crucis mensuram penitus exæquavit. Oblongum verò & erectum hastile in sublimi appensum, cujus pars inferior versus basin longius ducta fuit, sub ipsum crucis insigne, ad texturæ discurrentis fimbrias, auream pij Imperatoris ac liberorum suorum effigiem ad pectus usque descriptam continuit. Isto igitur salutari signo Imperator, tanquam hostilis cuiusque & infestæ violentiæ propugnaculo semper usus est. Cujus expressæ similitudines mandavit ut universum exercitum perpetuò antecederent. Hæc Euseb.

§. 16. Sunt de hac visione variæ disputationes inter doctos, quas omittimus. Illam quæ huc facit tantum delibabimus. Sunt qui putant, solam crucem immissam aut commissam Constantino apparuisse,



paruisse, cum literis, in hoc vince, *sine duabus initialibus nominis Christi literis & reliquo apparatu.* Sunt qui *crucem, & vocabula*, in hoc vince, *& nomen Christi & reliquum apparatum, exceptis imaginibus apparuisse velint.* Sunt qui putent, χ *Græcorum majusculum cum inserto* P, *& vocabula*, in hoc vince, *Constantino apparuisse, & ipsum* χ *esse crucem decussatam.* Primam sententiam (quæ est Cæs. Baronij Cardinalis T.3. Annal. an. Christi 312. num.25.) refert, tacitis autorum nominibus, & refutat Gretserus Iesuita *Tom.1. de cruce lib.2.cap.37.p.481.* Rationes quas opponit, hæ sunt: (I.) Quia *non nudam & puram crucem, sed crucem, cum corona & characteribus illis* ☧ *Constantino apparuisse, probatur ex Eusebio, qui ait*, noctu Constantino τὸν χριστὸν τοῦ θεοῦ σὺν τῷ φανέντι κατ' οὐρανὸν σημείῳ ὀφθῆναι τε καὶ παρακελεύσασθαι μίμημα ποιησάμενον τοῦ κατ' οὐρανὸν ὀφθέντος σημείου τούτῳ πρὸς τὰς τῶν πολεμίων συμβολὰς ἀλεξήματι χρῆσθαι. *Quomodo crux à Constantino facta cœlestis illius μίμημα h. e. imitamen, ut sic dicam, seu effigies fuit, si corona & duabus illis literis caruit? In imagine, si vera sit imago & perfecta, non oportet plus esse, quàm in ipso exemplari seu prototypo.* (II.) Quia *Constantinus* τοῦ σημείου τὴν εἰκόνα ἀπομιμεῖσθαι χρυσῷ καὶ πολυτελέσι λίθοις διεκολεύετο. *Vbi notanda vox illa* ἀπομιμεῖσθαι, *quæ undiquaque perfectam imaginis ex exemplari expressionem notat.* (III.) Quia *si sola crux Constantino apparuerat, absque cæteris ornamentis, cur tam sollicitè artifices, medius inter illos considens, instrueret, ne fortè à specie visa aberrarent; poterat enim uno verbo suam mentem pandere, utq; conficerent, mandare. Si dicas, id ideò tanta cura factum, quia varia erant crucium genera, opus igitur fuisse planius & fusius exponere, quamnam crucem effictam & confectam vellet; At ut maximè plura crucium genera fuerint, omnia tamen nota erant: aut si non omnia, certè illa, quam Constantinus fabrefieri volebat, notissima erat: fuit enim commissa, aut immissa similis literæ* T, *aut non valdè absimilis. Quantulæ autem operæ erat, jubere, ut ex auro & pretiosis lapidibus conficerent crucem literæ* T. *consimilem? Cæterum majus opus suscipit Imperator,* χρυσοῦ καὶ λίθων πολυτελῶν δημιουργοὺς συγκαλέσας, μέσος αὐτὸς κατιζάνει καὶ τοῦ σημείου τὴν εἰκόνα φράζει. (IV) Quia *si corona & literæ* ☧ *Constantino unà cum cruce non apparuerunt, quæro cur Constantinus eas addiderit? Si dicas;* significando Christi nomini, cujus literæ illæ symbola, *erras. Nam tantum abest, ut*



Gretser⁹ contra Baronium.

Con-

Constantinus vim illarum literarum tunc, cum crucem fieri curabat, intellexerit, ut ne quidem ipsius crucis significationem perspectam habuerit. Nam confecta jam cruce sacerdotes Christianos advocavit, *inquit Eusebius*, καὶ τίς εἶ θεὸς αὐτὸς ἠρώτα, τίς τε ὁ τῆς ὀφθείσης ὄψεως τῷ σημείου λόγος, οἱ δὲ τὸν μὲν εἶναι θεὸν ἔφασαν, θεᾷ τῷ ἑνὸς καὶ μόνου μονογενῆ παῖδα, τὸ δὲ σημεῖον τὸ φανὲν, σύμβολον μεγάλα δυνάμεως εἶναι, τροπαῖον δὲ ὑπάρχειν τῆς κατὰ τοῦ θανάτου νίκης. *Ecce quando Constantinus crucem vidit & fieri jussit, nihil dum de Christo DEO, cujus crux insigne erat, noverat. Qui igitur ipse nomen Christi in illa cruce exprimere potuit per literas illas*  , *si non cum cruce simul apparuerant? & si ipse ut crucis, ita & characterum illorum mysterium & sensum minimè nosset? Nihilominus ut crucem effinxit, licet ejus vim & potentiam minimè exploratam haberet, ita etiam literas illas & coronam expressit, quamvis ignoraret significationem, discendam postea cum aliis Christianæ fidei capitibus à Christianæ religionis magistris.* Ita Gretserus, cui eatenus suffragamur, quatenus probat, nomen Christi expressa crucis imagine in illa Constantiniana visione apparuisse. Aliàs arguméta solida non sunt, quibus id tueri satagit, ut probet, crucem & nominis Christi picturam fuisse separatum quiddam. Nam ad I. structuram & compositionem Constantinianam fuisse visionis cœlitus oblatæ μίμημα, certum est ex Eusebio. Nihil verò insuper Constantinum adjecisse, quis dicet? Ad II. auro & pretiosis lapidibus fuisse expressum id, quod Constantinus vidit, nemo negat. Sed unde constat, quicquid expressum est, Constantinum vidisse? Ad III. sollicitudo Cnstantini ad principale, quod visione oblatum fuerat, directa fuit. Etiamsi itaque facile artificibus illud indicare potuisset, tanto tamen visionis ardore fuit succensus, ut inter artifices considere & visionis dictare maluerit lineamenta. Ad IV. Etiamsi nobis non constet, cur Constantinus addiderit reliqua, quæ præter visionem in Labaro Constantiniano visa sunt, certum tamen est, aliqua addita fuisse. Fatetur hoc Gretserus ipse *p.* 483. sic enim ait: Propter eadem argumenta posset quis non improbabiliter sibi persuadere, Constantino crucem cum velo seu supparo apparuisse, quandoquidem crucem fecit κατὰ τὸν φανέρτα τύπον αὐτῷ, ut ait Zonaras, idemque satis liquet ex Eusebio. Verò tamen propius est, velum hoc, ut & imaginem propriam & liberorum additum non tam in visione, quàm ex militari consuetu-

dine,& de imaginibus quidem minus dubium esse debet ; de velo non injuria scrupulum moveat Eusebius, quia ista ἀπομιμεῖσθαι δὲ αὐτῶν χρυσῷ καὶ πολυτελέσι λίθοις διεκεκόσμητο, ἦν δὲ τοιῷδε σχήματι κατεσκευασμένον. Sed tamen ut his non obstantibus excipiuntur imagines Constantini & liberorum, ita etiam excipi potest supparum, in quo Nicephorus ait expressas fuisse imagines Constantini & liberorum.hactenus Gretserus. Requirit denique res ipsa, aliqua in Labaro Constantiniano post visionem fuisse,quæ etiam antea fuerint. Nam saltem vexillum Imperatorium apud Romanos Crucis formam habuit,quod labarum sive ævo demum Constantini, sive ante etiam appellatum fuit.Fatetur id Gretserus *Tom.1.l.2.de cruce cap.39.p.492.*Itaque quod labarum retinuit σταυροειδὲς, non habuit ex ipsa visione.

§. 17. Cadentibus argnmentis contra primam opinionem, cadit simul sententia,quam memoravimus, quæ argumentis illis potissimum nititur. Tertia verò opinio, ob quam acerbè flagellat *D. Brentium* etiam *Onufrio Panvinio* probatur. Brentius *in ep.ad Gal. Tom.7.p.887.*ait: *De Constantino scribitur, quod fuerit in somno admonitus , ut pugnaturus adversus hostes, pingat in vexilla sua hoc signum*  *& audita est vox dicens,*in hoc vince. *Videtur autem hæc figura habere formam crucis. Sed significat hanc dictionem Christus.* Taxat Gretserus in Brentio, quod tantum somni fecerit mentionem,cum & vigilanti in cœlo illud spectaculum fuerit exhibitum. Sed Brentius hoc non negat. Taxat in Brentio, quod dicat, si vera est historia &c. Addit; *Os & frontem hæretici. Tune in dubium revocas historiam tot scriptoribus & totius antiquitatis testimonio circumseptam?* At testimonia antiquitatis sunt vel supposititiorum librorum,ut Artemij & Gelasij,vel ex Eusebio velut antiquiore. Audiat verò Gretserus de Eusebio judicium Iesuiticum. Ant. Possevinus *in appar.sacr.*V.Eusebius *p.* 530. ait. *Præter Ecclesiasticam historiam vitam quoq; Constantini M. Imperatoris quatuor libris scripsit Eusebius,quos tamen Hieronymus suo Catalogo non adnumeravit. Hanc verò vitam Photius vocat* non historiam , sed ἐγκωμιαστικὴν πραγματείαν, h.e enconiasticum quadripartitum librum, *in quo* floridiorem *esse dicit* dictionem;*at in qua narratione non multum sit gratiæ aut voluptatis. Quin & subdit,* pleraque de Arianis omissa fuisse ab Eusebio, quæve ad synodũ Nicænã pertinebant: neque verò Arij hæresin voluisse

Brentius vindicatur

Possevinus de Eusebio

fuisse nominare, sed contentionem inter Arium & Alexandrum. Quis autem baptisaverit Constantinum Nicomediæ, *inquit*, eum non aperuisse, tacuisse denique de Eustathio, deque Athanasio, qué Photius appellat πολύαθλον. *At certum est plura in ea vita data opera mentitum fuisse Eusebium, sive de baptismo Constantini, sive de alijs plerisq;. Imò sciendum, non mendacij solum, atq; hæreseos meritò fuisse suspectum Eusebium, sed etiam turpis assentationis atq; inversionis temporis, quibus res gestas narrat, haud servans historicas leges* &c. Quis Brentio succensebit, quod *Os frontemq; adversus Eusebium exporrexerit*, qui Possevini contra eundem observabit vehementiam? Taxat denique inprimis, quod visum Constantini dixerit fuisse



, neque adfuisse separatim crucem. At Onufrius Panvinius Augustinianus, *Comm. in lib. 2. fastor. p. 277.* Brentio suffragatur, fretus numo Constantij, quem & habet Antonius Augustinus *dialogo 1. de antiquis numismatibus.* Nec cogunt in contrarium rationes Gretseri. Ait I. *repugnare verba Eusebij.* Respondemus; Eusebium dicere, Constantinum vidisse ἐν αὐτῷ ἑρανῷ ὑπερκείμενον τοῦ ἡλίου σταυροῦ τρόπαιον ἐκ φωτὸς συνιστάμενον. Atqui etiam in illa scriptura est σταυροῦ τρόπαιον. Et Eusebius, ejus postea exposita fabrica, ait, hastili confecto & cornibus ejus adornatis, additaque corona denique magna industria concinnatum fuisse τῆς σωτηρίας ἐπηγορίας τὸ σύμβολον, δύο στοιχεῖα τοῦ χροῦ παραδήλουντα ὄνομα διὰ τῆς πρώτων ὑπεσήμανον χαρακτήρων, χιαζομένου τοῦ Ρ χῖ τὸ μέσον τοῦ Χ. Hoc nimirum erat triumphatricis crucis spectaculum, quod Christum ipsum indicavit, quod & postmodum Rex in galea gestavit. Ait II. *repugnare Socratem, Nicephorum, Alexandrum.* Resp. hos scripsisse, quam ex Eusebio præoccupato animo fecerunt, interpretationem. Ait III. *repugnare communem sensum.* Respondeo apud Iesuitas esse præconceptam opinionem. Ait IV. *repugnare Sozomeno & Zonarae*, qui σταυροῦ τρόπαιον & τύπον σταυικὸν *Constantino apparuisse ajunt, hoc autem de cruce decussata non intelligi, cujus formæ sit* χ. Respondeo, quid obstat, quominus intelligatur crux etiam decussata sub istis verbis? Nonne qui ad crucem decussatam fuere religionis causa suspensi, σταυροῦ τρόπαιον consecuti fuerunt? Ita quidem pro Brentio. Aliàs quicquid devisione ipsa dixerimus, id certũ est hãc Salvatoris nostri signaturam labaro Imperatorio susceptam inter exercitus fulsisse & gentiliũ quoq; oculos perstrinxisse, memorandis vero Christianismi magnalibus ansam dedisse maximam. §. 18.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746345968/phys_0041
DFG

§. 18. Summatim: Nomen Iesus (quod Turcæ adeò solent honorare, ut eo tanquam adversus omne infortunium efficacissimo, in suis Chamailis h. e. amuletis per suos Talismanlar sive sacrificos magna devotione confectis & in schedis circumvolutis descriptis abutantur, de quibus vide Schiccardum in Tarich. p. 80. & seq.) in hoc nostro aphorismo sumendum est significatu *summo*, quo salvationem perfectissimam denotat, *primo*, quo salvationem designat æternam, *maximo*, quo universalem salvationem innuit, *eminenti*, quo potissimum spiritualem respicit, *absoluto*, quo dominicam salvationem sine necessitate servili repræsentat, *incomparabili & incommunicabili*, quo modo nullus Salvator est; *antitypico*, quem figurarunt tot salvatores antegressi, qui tamen omnes intra umbræ imperfectionem substiterunt, hoc fastigium non consecuti. Quid enim obstat, quominus in ea summitate, primitate, magnitudine, eminentia, absolutione, incomparabilitate, incommunicabilitate & claritate hoc nomen concipiamus? Ita & nomen Christus *unctionem* notat summam, primam, maximam, eminentissimam, incomparabilem & incommunicabilem atque antitypicam, qua ungens & ungendus *unum* sunt, unguentum non est *extra* ungentem, unguentum non est *effectus* ungentis, unguētum neque *temporale* est, neque *finitum*, neq; *dependens*, ungens nunquam est *extra* unguentum, & quæ sunt perfectiones aliæ. Quid enim rursus obstat, quominus in tantis perfectionibus unctionem consideremus? *Confer Ps.* 45.7. *Hebr.* 1,8.9. Et hæc quidem de subjecto, quod est in Trinitate *Matth.* 28.20. persona secunda, in ordine testium cœlestium *1. Ioh.* 5.7. secundus. Ille scil. qui in tota Epistola ad Hebræos tanta Majestate nobis sistitur.

Cap. V. Textus A. post. dein. de prædicatum explicatur. Polanus notatur. Zvvingerus notatur.

§. 19. Prædicatu est χθὲς καὶ σήμερον ὁ αὐτὸς καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας, Polanus *in transl. sua Germanica, uti §. 6 p. 7. annotavimus* ad *prædicatum* etiam nomen *Christi* refert, quasi hic sit propositionis ordo, *Iesus est Christus heri & hodie, idem & in secula.* & Theod. Zvvingerus *in Diatribe ad h. l. n. 6. & 7.* statuit, *hanc propositionem eandem esse cum illa, Iesus Christus est heri & hodie, idem & in secula: quia in hac posteriori sententia saltem ex Apostoli sententia, idem dicitur non quovis modo, sed qua est Christus.* Ipse verò Polanum sequitur, & ad διδόμενον propositionis refert nomen Iesus, ad ζητούμενον autem & *prædicatum* nomen *Christus* cum reliquis determinationibus Apostolicis. Atqui quanquam & hoc modo dispositia propositio Apostolicæ veritati non sit adversaria, longè tamen angustior est & coarctatior

ctatior ejus vis atque sententia, si ita concipiatur, quam si usitato solennique conformetur modo. Nobis autem in interpretatione videndum est, ne sensus Spiritus Sancti constringamus, & à sua amplitudine contrahamus ad aliquas angustias. Quia itaque de copulæ insertione deliberatur, longè tutius est, si post nomen χριστὸς inseratur, ubi illustrem & notabilem suam capacitatem propositio retinet, quam si eidem anteponatur. Et scopum propositionis, non ad officium tantum Salvatoris collimare, sed latius sese extendere, ex dicendis manifestabitur. Adde quod ejusmodi insertio copulæ nova sit, & codicibus incorruptis, translationibus Latinæ, Syræ, Arabicæ, Germanicis Lutheri Dietenbergij, Tigurinorum, Piscatoris, Tossani, Italicæ Deodati, Gallicæ Genevensium &c. ignorata. Manet igitur prædicatum, quod diximus.

§. 20. In quo duo dicuntur (I.) *Quid sit Iesus Christus?* (II). *Quandiu id, quod esse dicitur, sit?* I. dicitur ὁ αὐτὸς. Syrus per ו cum antegredientibus temporis adverbijs suum הויו copulat, & hoc ipso indicat, quod Iesus Christus dicitur הויו, se censuisse, esse peculiare elogium & attributum Salvatoris. Observant Philologi, nomen divinum apud Gentiles fuisse ὁ αὐτὸς. Clemens Alexandr. στρωμ. λογ. ε. refert, supremum illud numen non unum nomen inter Gentiles obtinuisse, sed appellatum fuisse ἤτοι ἓν, ἤτ' ἀγαθὸν ἢ νοῦν, ἢ αὐτὸν. (vulgati Codd. legunt ἢ αὐτὸ τὸ ὄν, sed manifesto vitio) ἢ ὄν, ἢ πατέρα, ἢ δημιουργὸν ἢ κύριον. Orpheus Musæi discipulus apud eundem Clementem in προτρεπτ. πρὸς ἕλλην.

Quid ὁ αὐτὸς?

Εἶ δ' ἐς' αὐτογενὴς, ἑνὸς ἔκγονα πάντα τέτυκται,
Ἓν δ' αὐτοῖς ΑΥΤΟΣ' περινίσσεται; οὐδὲ τὶς ΑΥΤΟΝ'
Ἐισοράα θνητῶν ΑΥΤΟΣ' δὲ γε πάντας ὁρᾶται.

הוא apud Cabalistas esse nomen Dei, notum est. P. Galatinus *de A. C. V. lib. 3. c. 23.* illud observat, & probare satagit ex *Zach. 9. 9.* ubi de Messia dicitur, quod venturus sit *justus & Salvator* נושע הוא *ipse.* Sed profectò ibi ut nomen proprium collocatum esse הוא non liquet. Multò minus ex istis dictis elucescit, quæ adducit Galatinus. Nam quod *Esa. 42. 8.* dicitur אני יהוה הוא שמי, non docet, הוא esse nomen Iehovæ, sed potius, illud ipsum nomen יהוה esse genuinum atque ipsissimum nomen Dei, Pariter & quod *Esaiæ 35. 4.* dicitur, *Ecce Deus vester ultio veniet, retributio DEI,* הוא יבוא *ipse veniet & salvos vos faciet,* nomen aliquod Deo proprium esse הוא

non evincit. Manifestum enim nimis est, הוּא non esse nomé proprium, sed pronomen relativum, sive demonstrativum, ejus, de quo in antecedentibus sermo fuerat. Interim tamen insuper singularem emphasin & attributionis efficacis vim habere הוּא, liquet id ex *Hebr.* 1, 12. loquentis è *Ps.* 102, 26. deq; Salvatore Christo interpretãtis, quod dicitur, σὺ δὲ εἶ ὁ αὐτὸς, siquidẽ hoc ipsum, si non per modum eminentis appellationis divinæ, saltem velut attributum Dei ἐξαίρετον & ἀκοινώνητον, ponitur. Sanè h. l. αὐτὸν εἶναι præstantissimam & planè supra omnes Creaturarum regulas positam excellentiam Iesu Christo tribuit. Idque propter 1. *Attributa antegredientia*, quibus illẽ Salvator commendatissimus describitur; dicitur αὐτὸς, ut υἱὸς θεοῦ & quidem μονογενὴς atque ab æterno genitus. *c.* 1, 1. 5. ut *hæres omnium*, ut *Conditor seculorum* v. 2. ut *splendor gloriæ & imago substantiæ Patris*, ut *Conservator omnium* v. 3. ut *adorabilis Deus*, v. 6. ut throni immensi Deus v. 8. ut stabilitor cœlorum, & manibus suis operatus omnia, ut semper permanens, annisque indeficiens v. 10. 11. 12. ut Dominus absolutè, immensè ab Angelis distans *c.* 2. 3. ut is, qui sibi subjecta habet omnia v. 7. 8. 9. ut proprietarius Dominus domus Dei *c.* 3. 4. 5. 6. ut summus Sacerdos *c.* 5. ut ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων *c.* 7. 3. ut sedens ἐν δεξιᾷ τοῦ θρόνου τῆς μεγαλωσύνης ἐν τοῖς ὑψηλοῖς *c.* 8, 2. ut novi fœderis autor & basis v. 6. & *seqq.* ut catholicus & perfectissimus conscientiarum expurgator *c.* 9, 14. & *seq. c.* 10, 1. & *seqq. c.* 12, 1. 2. 3. His sanè antegredientibus elogiis constat, Christum ita esse αὐτὸν, ut sit summo & eminentissimo modo αὐτὸς. Cur verò non expenderemus hoc elogium ad ista?

§. 21. II. *Requisita præsentia.* Sive namque *antecedentia* consideremus, sive *consequentia*, αὐτότητα requiri summam & excellentissimam planum erit. Collocat sanè S. Paulus hoc θεώρημα in medium, ex quo radij spargantur in antecedentia & consequentia. Cap. XI. exposuit Apostolus Catalogum Sanctorum V. T. magno numero, qui arcanorum Dei participes, revelationibus illustres, mysteriorum pandendorum præcones, in Iesum Christum τῆς πίστεως, quæ in isto sanctorum exercitu fulsit mirandis documentis, adeoque πίστεως in V. & N. T. ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν fuerunt ἀφορῶντες. Eorum patientiam, constantiam, fervorem, cæteraque virtutes Christianis N. T. commendat, velut pulcherrimam imaginem, quam sanctis conatibus exprimerent, *c.* 12, 2. 3. & *seqq.* Cap. XII. 18.

exponit

exponit Israëlitarum felicitatem, quam tot suspiriis à Messia contenderunt Patriarchæ, qua tandem è captivitate Ægyptiaca, durissimæ servitutis domo, educti, iter versus terram promissam ingressi sunt, & ut vera beatitudine informarentur, ad montem Sinai deducti, è quo docerentur de sanctissimis Ecclesiæ & Reipubl. statuendæ atque stabiliendæ placitis. Comparat verò porrò eandem cum Messianorum N. T. felicitate, quæ suavior omninò sit & amabilior, cum illa terroribus mixta fuerit atque horroribus. Ait, Israëlitas quidem ad montem perveniſſe, quæ erat quasi solium & cathedra Messiæ, magni illius habitatoris rubi angeli, & λόγια ζῶντα audiviſſe, sed ad montem contrectabilem, quem flammæ ignis, & fulgura, & tonitrua, & caligo & procellæ, & tuba terribilis, & vox tota horrore audientes concutiens circumdederunt, ad quem consistere neque tutum fuit, neque salutare; adeoque omnia undique ipsis fuisse horrenda. Ex diverso Messianos N. T. perveniſſe ad montem Sion amoribus & gaudiis pleniſſimum, ad civitatem Dei vivi, Hierosolymam cœlestem, ad myriadas angelicas, ad panegyrim & concionem primogenitorum cœlestibus tabulis adscriptorum, ad benigniſſimum catholicumque judicē, ad spirituum justissimorum & perfectissimorum societatem, ad Messiam, non *ut* Vetus T. è monte firmaverat, sed *ut* Novum fœdus in carne condidit, & sanguinem effudit meliora loquentem, quam locutus erat sanguis Abel. Ex hac comparatione monitum elicit, quod ad excellentiam Salvatoris nostri indicandam pertinet. Ait, si illi, qui Christum, utpote in deserto Israëlitis Ducem, ὅτι τῆς γῆς in monte scil. Sinai χρηματίζοντα & revelationes cœlestes publicantem respuerunt, vindicem illius dextram non effugerūt, nequaquam eos, in N. T. effugituros pœnarum justissimum distributorem, qui è *cœlis* scil. χρηματίζοντα averso violaverint animo. Quis est ille ἀπ' οὐρανῶν χρηματίζων? Μεσίτης διαθήκης νέας Ἰησοῦς, qui τοῦ αἵματος ῥαντισμῷ κρεῖττονα λαλεῖ παρὰ τὸν Ἄβελ *vers.* 24. Ait enim Paulus; vox sonuit è monte Sion, sed terribilis & vindictam minitata, sicut & vox sanguinis Abelis. Novo Testamento vox resonat è cœlesti Sione & Ierusalem, sed amabilis, conciliatrix, & sanguinis propitiatorij dulcisonantibus cymbalis suffulta, quæ Mediatoris est. Hæc non est aspernanda. Cur? (1) *Quia* vox ejus tunc terram commovit, cum scil. fulguribus, flammis atque tonitrubus omnia undique concuterentur. Unde ostendit, quanta possit contra immorigeros. (2) *Quia* vox ejus, juxta denunciationem

apud *Agg.*2,7. factam, sonora Evangelij tuba adhuc semel *non terram solum, sed & cœlum commotura est.* Unde manifestum est, unum & eundem fuisse τὸν ὅπι τῆς γῆς & τὸν ἀπ' ἐρημῶν χρηματίζοντα; unius enim ejusdemque est ἡ φωνὴ ἡ τὴν γῆν τότε σαλεύουσα, & ἔτι ἅπαξ οὐ μόνον τὴν γῆν, ἀλλὰ καὶ τὸν οὐρανὸν σαλεύσω v.26. His itaque constitutis Cap.XIII. in moralibus pertexendis progreditur Apostolus, & demum v. 7. ad cœtum sanctorum *exemplarem* Hebræos revocat, μνημονεύετε τῶν ἡγουμένων ὑμῶν &c. Patriarcharum, Prophetarum & in universum omnium cœlestis veritatis præconum. Revocat autem simul ad causam μνήμης. Iesus Christus ὁ αὐτὸς. *Idem* hodie est, qui fuit ἀρχηγὸς τῆς πίστεως absolutè, qui fuit Patriarcharum objectum, lumen, motor, dux; *idem*, cujus φωνὴ in monte Sinai χρηματίζουσα τὴν γῆν ἐσάλευσεν; *Idem*, cujus nūc φωνὴ in Ierusalēm ἐπουρανίῳ ἀπ' οὐρανῶν κρείττονα λαλεῖ παρὰ τὸν Ἄβελ; *Idem*, cujus vox σεισμὸν facit, non solùm *in terra*, sed etiam *in cœlo*; *Idem*, qui est Iehova exercituum talia ἐπαγγέλλων *Agg.*2,7. Dicis, si idem fuit Christus quoad Deitatem in V.T. qui cum angelis apparuit Patriarchis, cur non commemoratur *c.*13, 2. in excitatione ad φιλοξενίαν, quia ita nonnulli angelos hospitio exceperunt. Resp. Paulus non ponit *angelos creatos* duntaxat. Intelligit ergò eos, qui è cœlestibus in assumta viatorum specie inter homines versari & apud hos hospitare voluerunt. Apostolus digitum ad historias V.T. intendit, q.d. Nostis, quæ apparitiones factæ, qui quantique angeli olim apud sanctos hospitaverint. Imitamini virtutem, quam tanto apparatu dignatus est Deus. Et hoc ex re quisitis in præsentibus moralibus Apostolicis occurrentibus *ante vers. 8.*

§. 22. Nunc porrò *identitatis sublimitatem* ex *Consequentibus* meditemur! *Doctrinis variis & peregrinis ne circumferimini v.9.* Cur? Iesus Christus est ὁ αὐτὸς. Itaque Vertumnos & Ecebolos aversatur. *Gratia, non cibis, stabilite Cor.v.9.* Cur? Iesus Christus est ὁ αὐτὸς. Nunquam terræ filios amavit, gratiæ cupidos autem semper est osculatus. *Altare Iesu colite & complectimini.* Cur? Iesus Christus est ὁ αὐτὸς. Altare suum patefacit omnibus, vult ab omnibus coli. Et sic deinceps. Hæc est illa αὐλότητα & Iesu tributæ magnitudo & amplitudo.

Quanta αὐτότης complectatur?

§. 23. Unde porrò liquet, Iesum Christum dici τὸν αὐτὸν respectu (1) *summæ immutabilitatis.* Qui enim eo modo atque ambitu est ὁ αὐτὸς, quem & attributa antegredientia indicant & requisita

sita præsentia postulant, is est summè immutabilis. (2) *perfectæ æternitatis.* Non enim aliquando non fuit ὁ αὐτὸς, qui ita dicitur ὁ αὐτὸς, uti h. l. Iesus ὁ αὐτὸς vocatur. Itaque posito aut etiam cogitato quocunque momento sive antrorsum sive retrorsum, semper respondendum est, ubi de Christi duratione sermo est, Iesus Christus est ὁ αὐτὸς. (3) *perpetuæ immortalitatis & vitæ essentialis.* Ita enim est ὁ αὐτὸς, ut omnis vitæ, angelicæ, humanæ, animalis, vegetativæ causa sit, adeoque perpetua immortalitate est ὁ αὐτὸς. *Col. 1. 16.* (4) *Infinitæ potentiæ.* Est enim idem, qui infinita virtute hucusq; omnia præstitit. (5) *bonitatis immensæ.* Est ὁ αὐτὸς, qui primum & indesinenter fuit fons omnis boni, à quo omnia dona & bona, (6) *Mediationis & satisfactionis* æternæ. Est enim ὁ αὐτὸς, qui & ab æterno redemptionem invenit consilio & in tempore auxilio. *Hebr. 9. 14.* Quemadmodum namque quando de præsentia divina sacrosancta scriptura loquitur, nunquam ita eandem nobis repræsentat, ut nudam adessentiam & indistantiam tantum depingat, sed ubique eandem & ἀδιαστασίας propinquitate & variorum aliorum attributorum divinorum operosa συνδρομῇ commendat, unde præsentia potentiæ, gratiæ & gloriæ dicitur, ut alibi ostensum est; ita cum summa illa ἀυτότης identitas & immutabilitas nobis de Deo & Christi persona dicitur, eandem cum inclusione & complexione cæterarum divinarum perfectionum concipere necesse habemus.

§. 24. II. Dicitur χθὲς καὶ σήμερον καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας. Verba hæc sua natura notant *durationem.* Hoc loco *durationem infinitam,* ab æterno & in æternum se extendentem designare, ex fundamentis textus liquet. Quorum (1) est *ex vocabulorum usu.* Quæ sit communis significatio χθὲς καὶ σήμερον, notum est. Non rarò ἀορίστως usurpari, ex scriptura liquet. Soceri sui Labanis vultum mutatum videns Iacobus sublimium visionum devotissimus sectator, ait *Gen. 31. 2. 5.* eundem non esse כתמול שלשום LXX. ὡς χθὲς καὶ τρίτων ἡμέρων. Chaldæus Onkelos: כמאתמלי ומר קרמוהי, *sicut heri & nudius tertius.* P. Fagius annotat, *hunc modum loquendi usurpari pro antea, hactenus.* Intelligit nimirum Iacobus tempus consuetudinis & cohabitationis Iacobi cum Labane in servitute jucundissima. Sic Moses deprecaturus gravissimæ legationis ad eductionem gentis Israëliticæ munus, prætendit coram Deo, se non esse disertum אישרברים virum verborum גם מרמול גם משלשם, LXX. πρὸ τῆς χθὲς, ὁ δὲ πρὸ τῆς τρίτης ἡμέρας. *Conf. Ex. 21. 29. 36. 2. Sam. 5. 2.*

Quid heri, hodie & in seculum.

Pro æternitate primum fundamentum.

Esa.30.33. præparata est Tophet מאתמול ab heri. LXX. planè illum locum confuderunt, מאתמול tamen reddiderūt πρὸ ἡμερῶν. Chaldæus Ionathan redit: מן עלמוי *à seculis.* Hoc loco χθὲς ita collocatum est, ut in nullū initium temporis collocari possit, si illud cum σήμερον conferamus, in quo cœperit. Si dicas, per χθὲς spectari *tempus exinanitionis Christi*, ab incarnatione usque ad resurrectionem, quærimus primum, unde illud χθὲς ad hunc terminum *à quo* restringendum esse constet? Anne ex subjecti necessitate & constitutione ita exigente? At de hoc nondum convicti sumus, nullam esse existentiam Iesu nisi quam in B. Virgine Maria demum consecutus sit. Imò certi sumus, Iesum habere *durationem antesecularem*, velut seculorum conditorem & autorem. Ita in hac epistola scribitur c.1.v.10. tanquam πρὸς τὸν υἱὸν dictum; σὺ κατ' ἀρχὰς κύριε τὴν γῆν ἐθεμελίωσας, καὶ ἔργα τῶν χειρῶν σου εἰσὶν οἱ οὐρανοί, αὐτοὶ ἀπολοῦνται, σὺ δὲ διαμένεις, &c. Qui est Iehova κατ' ἀρχὰς ab initio terram fundans & cujus manuum opera sunt cœli, is habet existentiam antesecularem. Transylvani, referente Socino *in responso ad Bellar. & Wiekum cap.3. ad class.1. arg.5.* negant, *verba illa Psalmi dicta esse de Christo, quamvis enim ea ibi leguntur inter alia divina testimonia, à sacro scriptore illo prolata, de Christi excellentia supra Angelos, tamen non, ut testimonium de Christo proferret, hæc fuisse ab ipso commemorata, sed ut illis uteretur ad apostrophen ad Deum faciendam, nempè, quia,* ut Fr. Davidis dicebat, *raptus in admirationem, maximi & pene incredibilis operis Dei in exaltando Christo, adeò ut illum supra omnes res creatas evexerit, & divinum illi regnum nunquam interiturum dederit, ut patet ex testimonio, quod de Christo proximè citaverat,* Thronus tuus, Deus &c. *ad ipsum conversus, non suis, sed antiqui Prophetæ verbis, quo plus ponderis haberent, præsertim cum aliquid de Deo propheticum exprimere vellet, ejus omnipotentiam & summum imperium agnoscit & confitetur,* q.d. *Et quid mirum est, Domine, te hominem ad tantā majestatem & potestatem evehere pro tuo arbitratu potuisse, cùm tu cœlum terramq; creaveris & fundaveris, & sic mundum universum condideris ac stabilieris, ac rursum totam hanc ingentem & admirabilissimam structuram sis dissoluturus & penitus consumturus, & in ejus locū (non secus atq; cum attrita & jam consumta aliqua vestis abÿcitur & mutatur, alia alterius generis sumta) novum cœlum, novamq; terram, id est, novam vivendi & habitandi rationem substituturus. Suadere autē omninò videtur, non fuisse locum istum Psalmi à divino scriptore, ut testimo-*

Locus Hebr.1,10. explic.

Transylvani refutantur.

stimonium de Christo allatum superiori addendum, primum, quod in antiquioribus emendatis Codicibus tum græcis tum latinis, nulla notatur distinctio inter particulā καὶ &, Psalmi verbis à scriptore isto ab initio additam: & ipsa verba Psalmi, quod tamen necesse esset, ad ostendendum prædictam particulam non esse conjunctim legendam cum verbis ex Psalmo desumtis, sed eandem vim habere, ac si scriptum esset, Et rursum, *quemadmodum paulo ante factum est, cum post unum testimonium aliud statim, nullis alijs verbis intermistis, allatum est) si revera, ut de Christo testimonium, verba ista ex Psalmo citata fuissent. Deinde parum verisimile est, simplicem particulam* Et *inter duo tam multis verbis comprehensa de Christo testimonia ad illa invicem distinguenda fuisse positam, & non apertius verbulo uno saltem addito, ut supra factum est, significatum, verba, quæ sequerentur, similiter ut superiora pro testimonio afferri.* Hæc de Transylvanis Socinus. Quis autem non videt, quam levibus suspiciunculis in eum prolapsi fuerint errorem, ut sibi persuaserint, hæc verba Apostrophen in se continere? Ubi enim sunt aliqua Apostrophes indicia? Quæ est Apostrophes illius vis & efficacia? Quis nervus verborum? *Non est mirandum, Deus Opt. Max. quod filium tuum super thronum tuam collocaveris, eidem divinitatem & adorabilem Majestatem cum potestate super omnia dederis, quia etiam cœlum & terram creasti.* Est ne promtum, majus ex minori opere colligere? Nonne enim minus opus est, creatio cœli & terræ, quàm illa exaltatio, unctio, locupletatio, ille enthronismus Filij Dei? Atqui etiam Apostolus non erat in eo proposito, ut demonstraret, quid facere potuerit Deus Pater, sed illud agebat, ut ostenderet, quid Filio contigerit. Itaque hactenus ἄσκοπος & ἀλλότριος fuisset illa apostrophe. Illud verò καὶ quia non est de textu Psalmistæ, omninò sua nativa indicatione connectit allegatum sequens antecedenti, non significat Apostrophen. *At*, inquis, *non adest ὑποστιγμὴ, quæ καὶ à reliquo textu Psaltis amoveat.* Primum, eam requirit contextus natura, quæ in Psalte non habet καὶ. Deinde exemplaria diversissima ὑποστιγμὴν habent. Porrò, si planè abesset καὶ, attamen ad eundem scopum hæc verba fluerent, ad quem antecedentia. Vide *Rom.* 3, 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. ubi est illiusmodi accumulatio. Denique etiam sine ὑποστιγμῇ constanter positum καὶ copulat novum allegatum superiori, *Conf. Rom.* 11, 26. 27. ubi ita junguntur ad unum scopum *Es.* 59, 20. *c.* 27. 9. Nimirum Spiritus S. suum sequitur beneplacitum, & à nobis interstinguendi leges non sumit, satis fuit unica copula, ad connectenda ea loca, quæ uno

genere

genere & modo sermonis fluunt, hoc est, ambo acclamationem aliquam ad Filium Dei continent.

Socinus refellitur.

§. 25. Ipse Socinus, procul dubio nimis violentam arbitratus Transsylvanorum explicationem, *fatetur* loco dicto, *Verba illa ad Filium pertinere; non tamen, quia verba ad ipsum dirigantur, aut de Filio in ipsis præcipuè agatur, sed quia is locus vaticinationem contineat, de re ad Filium quoq; pertinente, & ex qua Filij summa præstantia elucet, qua angelos antecellit, nimirum eam, quæ est de mundi hujus adspectabilis dissolutione & horum seculorum in præstantiora mutatione.* Respondemus, nullo jure Socinum posse ejusmodi divisionem in allegationem Apostolicam inferere, qua verba ad unam eandem personam directa partim ad Deum Patrem referantur, partim etiam ad Filium. Quanta enim hoc modo violentia infertur sanctissimo contextui? Eccur Apostolus è Psalte illa produxit, quæ huc non pertinent, si non omnia adducta huc pertinent? Fuitne adeò adstrictus verbis Psalmi, ut non potuerit excerpere, quæ huc pertinent, reliquis suo loco subjectoque relictis? Ait Socinus, *Apostolum necesse habuisse ista quoq; verba recitare, ut ea intelligerentur, quæ in testimonium adducere volebat. Pendent enim ea omnia ex istis per pronomina relativa, quibus terra & cœli in ipsis non nominati significantur.* Respond. nullam esse necessitatem, integrum versiculum ad rem impertinentem repetendi, ubi relativo sublato ipsa nomina τῆς γῆς καὶ τῶν οὐρανῶν commodissimè potuissent surrogari. Sed quid fuit de subjecto, quod est יהוה summus Deus, Psaltis verbis expressus & non alius? Anne subjectum non est ex *v.* 10. collligendum & in 11. *vers.* repetendum, cum dicitur σὺ δὲ διαμένεις? Itaque avulsit Apostolus ista Psaltis verba & ad subjectum applicavit, quod Spiritus S in Psalte non expresserat, cum tamen in literali sensu persistat. Absurdum! Quid denique de postremis verbis *v.* 12. σὺ δὲ ὁ αὐτὸς εἶ καὶ τὰ ἔτη σου οὐκ ἐκλείψουσι, nonne illa durationis & principium & finem negant in summo ente, uti hîc sonant? Illa enim indefectibilitas annorum porrò fluxurorum tantam majestatem non indicat, quantam Sanctus Spiritus intendit istis Psaltæ verbis. Ait Socinus *ex eadem causa*, scil. ut integrum adferret locum Apostolus *eundem etiam posteriora verba adduxisse.* At quæ hic necessitas ursit Apostolum? Nam quod subjungit, *in illis postremis verbis sempiternum Iesu Christi regnum significari*, non satisfacit. Illa namque verba in summo Deo absolutam æternitatem, & indefectibilem existen-

existentiam, etiam in comparatione ad omnes creaturas notant. Quomodo ergò πρὸς λόγῳ applicata sempiternitatem duntaxat regni ejus designabunt? Quid est verbis divinis ludere, si hoc non est? Adde, v. 8. disertè dici, πρὸς τὸν υἱὸν ista verba dicta esse, quæ & ex Psal. 45, 7. & Psal. 102, 26. proposuit Apostolus. Qua ergò forma Apostolus, cum de יְהוָה creatore dicta sint, ad τὸν υἱὸν transtulit Ps. 102. verba, si ὁ υἱὸς non est omnium conditor? Resp. Socinus, *ista verba πρὸς τὸν υἱὸν non significare*; ipsum Filium alloquitur, *sed* de Filio loquitur. *Patere hoc ex superioribus illis verbis v. 7.* & ad angelos quidem dicit, *quæ non, cum ipsis angelis, sed de angelis verba fieri, significant, cum nec præcipuè de Angelis, sed de Deo potius sermo sit.* Reponimus nos *primum*, etiamsi verba illa πρὸς τὸν υἱὸν non inferant alloquium ad filium, hoc tamen evincunt, *in illis verbis non de alio subjecto extra Filium esse sermonem primariò & principaliter, de Filio autem tantùm accommodatitiè*, sed sicut v. 7. per angelos, πρὸς οὓς dictum esse asseritur, ipsissimi angeli intelliguntur, non per prius alia aliqua persona, ita etiam v. 10. 11. 12. per κύριον θεμελιώσαντα τὴν γῆν καὶ χειρογράφα τῶν οὐρανῶν non per prius alium aliquem Dominum, sed ipsissimum Filium intelligi; omninò, velut etiam per Deum à Deo unctum *v. 8. & 9.* è *Ps. 45, 7.* ab Apostolo commendatum, non per prius alius, quàm ipse ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ intelligitur. *Deinde* addimus, ubi forma sermonis patitur, ut πρὸς τίνα λέγειν, alloquium denotare possit, ibi ordinariæ & usitatæ phraseos illius significationi locum relinquendum esse; quanquam alibi eam retinere nequeat. Ita verò res sese in præsenti habet. Forma enim sermonis per modum alloquii concepta est.

§. 26. Socinus ultra progreditur, atque, ut monstrosæ interpretationi colorem conciliet, duas verisimilitudines adjicit, unde liquere ait, *consilium Apostoli non fuisse, de Filio Dei ut Creatore orbis loqui.* 1. quia *tota disputatio capitis I. à v. 4. usque ad finem, in comparatione filij & angelorum occupata, tendit ad ostensionem, quod DEI filius, quatenus res creata est, & donis à Deo affectus, præstantior est, quam Angeli. Dicitur angelis melior factus, & excellentius nomen hæreditasse, quam angeli.* Respondemus *in genere*, Apostolum conformare disputationem ad hypothesin opinionis vulgaris. Ea erat, Christum fuisse merum hominem, non ὁμοούσιον *splendorem gloriæ*, non *characterem hypostaseos Patris*, non illum, *qui ferat omnia verbo potentiæ suæ*, non illum, qui *propria virtute purgationem peccatorum nostrorum fecerit*, non illum, qui *consederit ad dextram majestatis in altissimis.*

Socini prima ratio refellitur.

mis. Ab hac opinione ut abducat Apostolus, comparationem Christi cum Angelis introducit. Syllogismus talis est: *Qui est supra Angelos, præstantissimas & in ordine creaturarum summas res, ille non est* ψιλὸς ἄνθρωπος, *sed* θεάνθρωπος *juxta tenorem v. 3.* Iam enim ab omni antiquitate receptum est apud Hebræos, nullam esse personam supra angelos, nullum ens illis esse sublimius, præter summũ. *At filius est supra angelos.* Hoc probat Apostolus argumentis longè firmissimis. Primum est è *Ps. 2, 7. Qui factus est ille filius, & hæreditatem illius summi augustissimique nominis & cum nomine omnis majestatis & perfectionis consecutus, de quo Ps. 2. is ita est supra omnes angelos, ut sit, saltem personaliter, summus DEVS.* Ratio est. Quia qui factus est ille filius, is factus est unigenitus è substantia Patris Filius. Nam Ps. 2. loquitur de ejusmodi Filio, qui sit summus, substantialis, ὁμοούσιος filius Dei Patris. Estque is in ejusmodi σήμερον γεννηθὲις, quod angelis est incommunicabile, quale solum est σήμερον æternitatis, quod est ἀεὶ σήμερον. Unde κεκληρονόμηκεν etiam illud nomen Filiationis μοναδικῶς & ἀκοινωνήτως. Atqui *Christus etiam quà homo factus est ille Filius.* Ais, *quomodo factus est, si ab æterno genitus est?* resp. per ἐνάρκωσιν, cujus respectu factus esse dicitur, ut homo, quod ab æterno erat, ut Deus. *Conf. Pentadec. diss. 2.* Secundum est è *Ps. 97, 7.* Qui est οἰκουμενικὸς œcumenicus *Dominus, angelis adorabilis, is est summus Deus. Christus est talis. Ergo est summus Deus,* & ita angelis, quicquid Hebræorum Græcorumque opinio insaniverit, infinitis rationibus superior. Tertium est è *Ps. 104, 4. Ps. 45, 7. Ps. 102, 26. Ps. 110, 1.* Qui sunt *natura spiritus, subtilitate instar flammarum purissimarum, officio* λειτουργοὶ *&c. illi infinitis rationibus sunt inferiores Filio Dei Iesu.* Ratio est 1. *quia* hic est Deus throni, è quo missiones angelicæ perficiuntur, æterni, est Dominus sceptri regno illi destinati, ad quod angelicę myriades ablegantur, & propterea etiam, quà homo est, illo oleo unctus, quod omnia infinita perfectione superat. 2. *quia* hic est conditor terræ & cœlorum architectus, atque immutabilis conservator omnium, cum illi sint πεποιημένοι. 3. *quia* hic sedet ad dextram Dei; illi sunt sub dextra omnipotenti atque ab illa gubernantur ordinanturque in ministerium eorum, quibus hęreditas æternæ vitæ deputata est. Hac rationum structura Apostolus destruit opinionem apud Hebræos inolitam, quâ, quia in Domino Iesu creatum aliquid viderunt, sibi alijsque persuaserunt, tantum abesse, ut is summus Deus, salutis autor, typorum V. T. tanquam umbrarum παρέλλη lux & Catholicus redemptor sit,

ut po-

ut potius infra angelos subsistat, eorumque hierarchiam multum supra se sublimem habeat. Nequaquam ergò scopus Apostolicus est, inter Filium & Angelos, tanquam inter res merè creatas comparationem instituere, sed potius prædicata Angelica & prædicata Christi perpetua quadam collatione juxta se ponere & exinde Hebræis ostendere, quam illi falsi sint in opinione sua, qua Christum censui creaturarum adnumerarunt.

Socini secunda ratio refellitur.

§. 27. Pergit Socinus ad alteram verisimilitudinem, qua probet, consilium Apostolicum non fuisse, locum Psaltis propter creationem allegare: *II. quia nusquam alibi Christus cœlum terramq; creasse dicitur. In locis enim Ioh. 1,3. Eph. 3,9. Col. 1,16. nunquam cœli & terræ per Christum creatæ sit mentio. Et quando creatio aliqua Christo in N.T. tribuitur, non ipse creasse dicitur, sed Deus per ipsum.* Resp. (1) non opus esse, ut totidem verbis dicatur Christum esse *creatorem cœli & terræ*: satis est si tantundem dicatur dictis harmonicis. Qui dicit, Christum esse visibilium & invisibilium, imò omnium, quæ facta sunt, autorem, is etiam cœli & terræ conditorem. (2) Esse notam ordinis inter sanctæ Trinitatis personas, quod Pater per filium creasse secula dicitur, non argumentum inferioritatis & subordinationis Filij in relatione ad Patrem. (3) Necessariam fuisse allegationem creationis in collatione Christi cum angelis. Quia enim mentio fit in allegato de angelis, τὸ ποιοῦντ@ ἀγγέλους, magnum quidem argumentum excellentiæ supra angelos propositum erat, cum è Ps. 45,7. in thronum, quem myriades angelicæ circumstant, Christus collocatur & unctus immensis perfectionibus dicitur. Veruntamen nondum expositum fuit, quis sit ille ποιῶν τοὺς ἀγγέλους &c. Itaq; allegato opere creationis in fastigium summitatis cœlestis collocatur Christus, & vera maximaque ejus supra angelos excellentia indicatur, cum dicitur esse Κύει@ ποιῶν]τὰς ἀγγέλους &c.

concluditur primũ fundamẽtum.

§. 28. Quibus ita expositis & contra Socinum evictis, ut ad nostrum locum revertamur, manifestum est, χθὲς Christo attributum, h.e. durationem ejus à parte ante, non omni modo sisti ac orditi in ipsius humana conceptione. Adde quod si χθὲς explices de tempore retrorsum ad conceptionem usque elapso, τὸ σήμερον propriè sumendum iri, pro præsenti tempore, quo ista Apostolus scripsit. Iam ergò χθὲς ἀορίστως, σήμερον ὡρισμένως usurpabitur, quod non satis congruit cum regulis bonæ interpretationis. Quantò rectius per τὸ fuisse χθὲς καὶ σήμερον omnis hoc loco durationis initium

negari dicimus. Apostolus sanè *Hebr.3,13.* utitur modo interpretandi, quem imitari non nefas erit. Cum *Ps.95,7.* dicitur, σήμερον, ἐὰν τῆς φωνῆς χειτε ἀκούσητε, μὴ σκληρύνητε τὰς καρδίας ὑμῶν &c. colligit inde, debere nos nosmet invicem ad pietatis exercitia magna industria excitare ἄχεις οὗ τὸ σήμερον καλεῖται. Dicamus & nos; Christus dicitur, ὁ αὐτὸς χθὲς καὶ σήμερον. Ergo existimemus, eum fuisse, quamdiu hodiè aliquod retrò fuit & heri aliquod esse potuit. Et, ubi hodie atque heri desinunt, ibi in ipsa abysso æternitatis eum fuisse dicendum est. *Conf. Ioh. 8.58. & ejus exegesin part. 2. theol. Zachar. disp. 8. §. 3.*

Pro æternitate secundum fundamentũ.

§. 29. II. est *ex vocabulorum durationem explicantium concursu.* χθὲς καὶ σήμερον, καὶ ὁ αὐτὸς εἰς τοὺς αἰῶνας dicitur Christus: quo concursu omninò singularissima aliqua duratio exprimitur. Nullibi in universa S. Scriptura duratio aliqua finita & ex aliqua parte terminata describitur his aut æquipollentibus vocabulis. Habemus interpretem ipsum Apostolum. Quem enim h. l. ait χθὲς καὶ σήμερον, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας fuisse & esse, eundem ait *cap. 7. v. 3.* μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχειν, veluti antitypum ejus, de quo ista certo respectu dicuntur. Quod ut magis eluceſcat, discutiamus prius, quod circa hunc locum disputavit *F. Socinus*, hostis æternæ Deitatis Iesu acerrimus. Ita ille *contra Bellarminum & Wiekum cap. 5. p. 222. Illud neque* principium dierum neque &c. *non de ipso Christo, ut cuicunque legenti constabit, sed de Melchisedecho dicitur. quamvis enim subjiciatur, Melchisedecum* similem fuisse Filio Dei, *non eam ob causam id dicitur, quia Christus quoque aliqua ratione sine Patre & sine Matre fuerit: præsertim cum verba ista, sine Patre & sine Matre, non ita sint accipienda, quasi Melchisedechus* sine Patre & sine Matre *fuerit, sed intelligendum, ejus Patris aut Matris nullam in Sacra historia fieri mentionem. nam quid quæso ad rem, de qua ibi agitur, pertinere potest, quod Christus aliquo modo revera* sine Patre & sine Matre fuerit? *præsertim si hoc ad istum modum interpretemur. sine Patre in terris, sine matre in cœlis: siquidem agitur ibi de Christi sacerdotio, cujus perpetuitas & extraordinaria institutio adumbrata fuerit in Melchisedeci sacerdotio, quod enim Melchisedeci Patris aut Matris genealogiæve ipsius nulla fiat mentio, hoc sane ostendit, ejus sacerdotium non pependisse ab aliqua divina promissione, alicui certæ hominum familiæ aut generi factâ, quemadmodum nec Christi sacerdotium pendet. Quod autem nec initium dierum ipsius (intellige in sacerdotij munere obeundo: nam si de initio vitæ Auctor loqueretur, vox dierum fuisset omissa & dictum,*

ctum, nec initium, nec finem vitæ habens) nec finis vitæ commemoretur, hoc omninò indicat, nec ipsum cuiquã in sacerdotio successisse, nec quenquam ipsi: & perpetuitatem sacerdotij adumbrat, quam Christus revera habet, eò quod vitæ finem revera non habeat: qui enim non modo successorem in sacerdotio non habuit, nec habiturus est, sed neque in eo munere cuiquam ipse successit. Vbi animadvertendum est, non dixisse divinum istum scriptorem, Christum seu Filium Dei fuisse assimilatum Melchisedecho, sed contra Melchisedecum Filio Dei, ut scil. intelligamus, non omnia, quæ de Melchisedeco dicit, eadem in Christo esse: sed illis ea omnia contineri, quæ de Christo in Melchisedeco vult fuisse adumbrata.

§. 30. Resp. 1. quicquid ibi de Melchisedeco dicitur, id de ipso dicitur, ut *typo Christi*, & ad Christum pertinet, velut antitypum atque complementum. Nimirum Apostolus profitetur *c. 5, 11.* se velle ἑρμηνεύειν interpretari eruendo resplendescentias typicas δυσερμήνευτον λόγον, qui in tantæ rei recessibus latet. Incepturus autem illam ἑρμηνείαν à nomine orditur, quo regiam Salvatoris Catholici majestatem delineatam esse tradit. Inde, ad cætera ἑρμηνείας capita progreditur *v. 3.* Itaque esse ἀπάτορ καὶ ἀμήτορ, καὶ ἀγενεαλόγητον pertinet ad membra ἑρμηνείας & συγκρίσεως inter Melchisedechum & Christum, adeoque ad Christum omninò accommodandum est. 2. Certum est, Melchisedecum dici *sine Patre, sine Matre, sine genealogia*, non *realiter*, sed ob ἔλλειψιν ἰσοσικὸν, & ut Epiphanius loquitur, διὰ τὸ μὴ ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ κατὰ τὸ φανερώτατον ἐπωνομάσθαι, aut ut veteres alij loqui amant, κατὰ τὸ μὴ ἐμφερόμενον. Hoc verò ad Christum *realiter* accommodandum est. Typus namque illam Majestatem non habuit, quam lux ipsa. Sic & μένειν εἰς τὸ διηνεκὲς κατὰ δόξαν aut παρ' ὅσον ἱσορίας Melchisedeco tribuitur, *realissimè* perfectissimèque competit Christo Iesu. Quapropter, quod Christus sit ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαγόητος, ad perfectionem & singularitatem Christi Salvatoris pertinet. Cur enim id, quod non in re ipsa se ita habet, cum non tam ἀπάτωρ, quam ἀπατρολόγητος, nec tam ἀμήτωρ, quam ἀμητρολόγητος fuerit Melchisedecus, sollicitudine atque subtilitate tanta ἐκ τῶ μὴ ἐμφερομένε eruit, si hoc ad Christum non attineret? 3. omninò ad propositum Apostolicum pertinuit, explicare, Christum esse *reapse* ἀπάτορ καὶ ἀμήτορ. Quid enim aliâs illud tam operosè ex Melchisedeciana historia eruisset? Scilicet comparatio fuit facienda inter Sacerdotium Christi & Levi. Ejus non minima, sed maxima omninò pars est à Magnitudine, Sublimitate & singularitate personæ Christi, quæ infinitis

Socinus refellitur.

passibus personam Levi & Levitarum omnium post se relinquit. Syllogismus Apostolicus est: *Persona sublimioris & eminentioris ordinis, neque generationis ordinariæ legibus subjecta habet etiam sublimius & augustius Sacerdotium. At persona Christi κατὰ τάξιν Melchisedeci Sacerdotis est sublimioris & eminentioris ordinis, neque generationis ordinariæ legibus subjecta, quia est ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ. Christus igitur habet etiam sublimius & augustius sacerdotium.* Vel ita; *In quo revera duplex generatio, admirabilis utraq;, apparet, is sacerdos est aut esse potest incomparabiliter major & perfectior omnibus sacerdotibus Leviticis, in quorum generationibus nihil admirabile fuit, sed potius vitia atq; imperfectiones communes generi mortalium apparuere. In Christo Iesu revera duplex generatio, utraque admirabilis, apparuit, secundum unam est ἀμήτωρ, ita scil. ab æterno genitus, ut sine matre genitus: secundum alteram est ἀπάτωρ, ita scil. in tempore è B. Virgine genitus, ut sine Patre fuerit genitus.* 4. Non satisfit ponderi argumentationis Apostolicæ, si ita explicemus; *Christus fuit ἀμήτωρ in cœlis*, scil. ut Socinus vult, per generationem exaltationis, *ἀπάτωρ in terris.* Nam *primum* Christus non respectu *loci* aut *status* duntaxat dicitur ἀμήτωρ aut ἀπάτωρ, sed *absolutè*: ubi ubi est, revera est ἀπάτωρ, revera ἀμήτωρ. *Deinde* Christus est ἀπάτωρ, in cœlis & in terris, si proprietatem naturalem respiciamus. Nullibi enim secundum humanam naturam in proprietate naturali consideratam patrem habet. Ergo etiam erit ἀμήτωρ *in cœlis & in terris* aliqua proprietate naturali; Dixi, *proprietatem naturalem.* Nam si κοινωνίαν ὑποστάσεως & divinorum ἀυχημάτων spectamus, fatemur, Christum *secundum humanam etiam naturam* habere Deum Patrem, quia in infinita hypostasi habet infinitam filiationem. *Tertiò* Generationem exaltationis nullam tradit scriptura, in qua factus sit Filius Dei, cujus respectu sit ἀμήτωρ. Christus sanè erat, quoad rem ipsam, Filius Dei etiam ante exaltationem. Luc. 1, 32. 35. licet quoad statum liberè electum fuerit Servus, nec juribus υἱοθεσίας usus. Phil. 2. 7. 8. *Denique* Christum esse ἀμήτορα, singulare, θαυμάσιον καὶ ἐξαίρετόν τι est. Ita sanè explicandum, ut comparari possit cum illa excellentia, qua dicitur ἀπάτωρ, qua singularissimum quiddam, θαυμάσιον καὶ ἐξαίρετόν τι atq; adeò planè ἀκοινώνητον comprehenditur. At si de generatione spirituali explices, omnes sancti juxta illam sunt ἀμήτορες. Neq; enim ad generationem spiritualem concurrit mater aliqua, si de generatione gloriæ loquamur, quæ est opus merè divinum. Nam ad ipsam

psam immediatam communicationem gloriæ, in resurrectione consummandam, neque ὀργανικῶς spiritualis Hierosolyma concurrit, quæ aliàs *mater omnium* dicitur *Gal.* 4, 26. respectu collectionis & generationis gratiæ, ad quam ὀργανικῶς concurrit per ministeriũ verbi: 1. Cor. 4. 15. Quamvis igitur in ipsa collatione gloriæ major gradus Christo tributus sit, attamen ἐν τῷ εἶναι ἀμήτορα inter Christum & sanctos esset κοινωνία. Omninò ergò toto genere alia generatio statuẽda, juxta quam μοναδικῶς & ἀκοινωνήτως sit ἀμήτωρ. Itaque ad substantialem generationem τὸ εἶναι ἀμήτορα rectè refertur, sicut & ad substantialem generationem pertinet τὸ εἶναι ἀπάτορα. 5. Ut vera perpetuitas & independentia Sacerdotij Christi confirmetur, omninò efficacissimum est, si dicamus, eum esse Filium Dei ab æterno genitum, ἀμήτορα, & admirabili obumbratione Spiritus Sancti ex B. Virgine in tempore genitum & sanctificatum ἀπάτορα. Hoc utcunque repræsentari debuit in antiquitate. Mysterium igitur repræsentationis quæsivit Spiritus S. in constitutione historiæ Melchisedeci & singulari ἀπαντήσει inter eum & Abrahamum. Subito enim introducitur in theatrum Magnalium Dei Melchisedecus, non addita commemoratione generis aut originis ejus, nomine insignitus augusto, & facto suam supra Abrahamum excellentiam testatus memorabili, ejusq; iterum ab Abrahamo digressi nulla amplius fit mentio. Hoc jussit suos intueri πεφωτισμένος David, tanquam novi sacerdotij præludium. *Ps.* 110. 4. Exhiberi hic sacerdotem admirandæ originis, novi ordinis, summi regni, nullius successionis, successus & conciliationis efficacissimæ. 6. Omninò *initium vitæ* Apostolus intelligit & de Christo negat. Nam *initium dierum & initium vitæ* synonyma h. l. sunt, ut *finis dierum & annorum*: *Ps.* 102, 28. *Hebr.* 1, 12. *& finis vitæ*. Sic ἡμέραι Νῶε, vita Noæ, *Luc.* 17, 26. 1. *Petr.* 3, 20. ἡμέραι σαρκὸς vita in carnis, h. e. fragilitatis statu, *Hebr.* 5, 7. ἡμέραι ἡρῴδου *Luc.* 1, 5. ἡμέραι ἥλιου *Luc.* 4, 25. ἡμέραι λωτ *Luc.* 17. 28. ἡμέραι Δαβὶδ *Act.* 7. 45. Itaque ἀρχὴ ἡμερῶν & τέλος ζωῆς eodem respiciunt, scil. ad *durationem vitæ*. Potuisset enim dicere, ἀρχὴν ζωῆς & τέλος ἡμερῶν. Sic dicitur ἥμισυς ἡμερῶν *Ps.* 102. 25. 7. Quod igitur nemo Christo in sacerdotio successerit & ipse nemini, hoc non est illud ipsum, quod de ipso dicitur, eum neque ἀρχὴν ἡμερῶν, neque τέλος ζωῆς habuisse, sed ex hac sub his verbis indicata perfectione æternitatis consequitur. Qui enim ex decreto divino sacerdotium suscepit ab æterno & in æternum gesturus est, is nemini in sacerdotio successit, illi nemo. 8. Quapropter non tantum

omnia

omnia, quæ de Christo in Melchisedeco fuerunt adumbrata, isto *v.3. cap.7. Hebr.* continentur, sed quæcunque v.3. continentur, ista pertinent ad illam ab Apostolo indicatam ἀφωμοίωσιν. Quod autem Melchisedecus dicitur ἀφωμοιωμένῳ Filio Dei, non autem Filius Dei ἀφωμοιωμένῳ Melchisedeco, diverso respectu accipiendum. Nam & κατ' ὁμοίοτητα Μελχισεδὲκ dicitur ἀνασαδεὶς *Hebr.* 7.15. Itaq; Apostolus considerat Christum ut *prototypum & archetypum* Sacerdotem, qui in tempore exhibendus consummabit omnia. Prototypo verò & archetypo solent omnia ἀφομοιοῦσθαι. Itaque ἀφωμοιωμένῳ τῷ υἱῷ τοῦ θεοῦ est *filium Dei repræsentans*, in eo scil. quod summam illam rectissimamq; lucem alicujus instar ἀπαυγάσματος refert. Melchisedecus ergò potest dici ἀφωμοιωμένος τῷ υἱῷ τοῦ θεοῦ, & υἱὸς τοῦ θεοῦ est ἀφωμοιωμένος τοῦ Μελχισεδὲκ, quia inter typum & protypum, archetypum atque antitypum est conformitas, licet ratio perfectionis & regulæ resideat in prototypo. Quandoquidem ergò χθὲς καὶ σήμερον ὁ εἰς τοὺς αἰῶνας in illo concursu collocatum est, quo nuspiam & nunquam durationem finitam significat, & est sine dierum initio aut termino, quid nisi æternitas est?

Pro æternitate tertium fundamentū.

§. 31. III. Est *ex vocabulorum scopo*. Coacervavit sanè divinissimus Scriptor istas temporum differentias χθὲς ὁ σήμερον ὁ εἰς τοὺς αἰῶνας, ut Christum supra omnes creaturarum ordines, perfectiones, dignitates, splendores, supra principatus & potestates, & virtutes, & dominationes extolleret, & tali insigniret elogio, quod ipsum singularem, ab omnibus segregatum, supra omnia excelsissimum indicaret. χθὲς καὶ σήμερον ὁ εἰς τοὺς αἰῶνας fuisse & futurum esse, neque Henocho, neq; Eliæ ἐξαναβάμῳ competit, neque Gabrieli, neque Michaeli, neque Raphaeli, neque angelorum principum cuiquam: imò nec toti panegyri, civitati, corpori sanctorū triumphantium. At si χθὲς ὁ σήμερον ὁ εἰς τοὺς αἰῶνας εἶναι durationem finitam designat, nonne & alijs congruunt? Nonne Henochus χθὲς fuit, id est, longissimo abhinc tempore, chiliade annorum non una, ante diluvium, quo tempore, juxta Photinianam sententiam, neque in rerum natura fuerat Iesus Christus? Nonne idem Henochus est adhuc hodie superstes, in gloria beatorum triumphans, prophetia etiam in Ecclesia militante transitionis suæ sublimitatem testatus? *Conf. dissert. nostram in Prophet. Henoch. Iudæ 14.* Nonne Elias χθὲς fuit & est σήμερον Propheta, cujus sanctitatem & magnanimitatem totus veneratur orbis? Nonne Ecclesiæ triumphus

phus jam inde ab antiquissimis temporibus cœpit, ut durationis finitæ respectu χθὲς καὶ σήμερον fuisse dici queat? Nonne etiam ita fuerunt & sunt myriades angelicæ? Atqui Christi χθὲς est longius, antiquius, sublimius.

§. 32. Unde quo σήμερον cœperunt angeli, viderunt gloriam Iesu in throno Dei cum Patre & Spiritu Sancto existentis: *Ioh.* 12, 41. *collat. cum Esa.* 6, 1. 2. 3. 4. &c. quia est gloria περιχώρησις *Ioh.* 17. 5. Etenim Iohannem *de Christo* locutum fuisse & ad Christum illa verba Esaiana, totamq; adeò visionem retulisse, ex verbis ipsis clarum est. Socinus quidem *contra Bellarminum & Wiekum cap.* 3. *p.* 108. *& seq.* putat, ista verba *ad Deum Patrem* referenda esse: quia *sit collatio casus incredulitatis Christo oppositæ, cum incredulitate & indurations tempore Esaiæ Deo oppositæ*: quia *verba v.* 38. 39. 40. 41. *parenthesi possunt includi, adeò, ut v.* 41. *demum cum vers.* 37. *connecti possit*: *quia cap.* 9. 22. *etiam factum sit, ut* αὐτὸν *ad Iesum diu antè nominatum, non ad subjectum proximè collocatum referre necesse sit, quia etiã in R. Stephani & Chr. Froschoveri editionibus ad marginem notatum est, codicem quendam vetustissimum* πρὸ δόξαν τοῦ θεοῦ *habuisse*. At verò fallit istis suis cõjectatiũculis. Quis enim non videt, *v.* 41. indicare rationem allegati vaticinij Esaiani, quod ad Christi statum & contemtum describendum pertinere dicebatur. *v.* 37. asseverat, inter tot miracula Christum creditum non esse. *v.* 38. hunc eventum divinitus olim prævisum, & proinde prædictum esse. In eum finem unum vaticinium ex Esa. 53. 1. adducitur. *vers.* 39. & 40. alterum habet. Quæritur, quomodo hæc vaticinia, & postremum cum primis, huc quadrent: Respondetur *vers.* 41. quia hæc ipsa vaticinatus sit, cum gloriam ipsius conspexisset. Cujus? Ejus sanè, de cujus statu & contemtu quæstio fuit. Is autem est Christus θαυματουργὸς. Sanè ut præscinderet ista verba à quovis alio subjecto B. Iohannes, quæ *Esa.* 6, 9. extant, nullius subjecti in eis mentionem facit, & ostendit, ad commune subjectum esse referenda. Imò quæ ad Prophetam dixit Deus, ad ipsum Christum refert & ita conformat, tanquam Christo, illuminare volenti, evenerit, ut homines excæcati fuerint, & indurati &c. Igitur non opus est parentheseos ejusmodi confictione. Nec tantæ est authoritatis unus codex, ut receptam lectionem mutet. Patet interim, etiam si vel maximè obtineret ista vetusti codicis lectio, B. Iohannis scopum fuisse, indicare, visionem Esaianam cum annexis fuisse in Christo completam. Visa est Dei πρωτογόνου gloria, & tamen secuta est refractaria gloriæ

Locus Ioh. 12, 41. & Es 6, 1, 2. 3. 4 5 expl

terram universam implentis aspernatio. Id in Christo comparet, illius visa est gloria, gloria velut unigeniti à Patre: illi contigit inter glorioſa edita miracula tam pertinax contradictio. Quapropter ordinata connexione illa verba, εἶδε τὴν δόξαν αὐτοῦ καὶ ἐλάλησε περὶ αὐτοῦ, eò pertinent, quo verba vers. 42. ὅτι ἐδύναντο εἰς αὐτὸν &c. Dicit Socinus, *posito, ad Christum ista verba referri, non tamen sequi, gloriam Christi, ab Esaia visam, esse eam ipsam, quæ cap. 6. describitur, quæ contigit singularissima Dei inter Seraphim φανερώσει. Textum enim nihil aliud velle, quam Esaiam ista pronunciasse, cum gloriam Christi vidisset, non autem dicere, gloriam ab Esaia descriptam esse Christi gloriam. Adhæc referri ista verba vers. 41. ad utrumque vaticinium Esaiæ. Esse autem etiam in cap. 53. descriptam ab Esaia visam gloriam.* Errat verò Socinus. Nam non necesse est πάντα etiam ad allegatum *cap. 53.* referre; commodissimè ea intelligi possunt, quæ *è cap. 6. 9. & 10. in vers. 39. 40.* adducuntur. Non necesse est aliam gloriam in Esaiæ visione comminisci, ubi in ipsa descriptione Prophetica gloriæ dominicæ visio amplissima comprehenditur. Imò, quid opus est alibi quærere gloriam, cum ob oculos posita sit & optimè delineata? Nonne hoc ad emphasin Apostolicam pertinet, quod notabilis illius vaticinij, in eminenti & memorabili gloriæ Dei visione prolati, complementum in Christo factum esse indicat?

Christum in gloria sua apud Esaiam dici visum.

§. 33. Itaque convictus *Socinus* debere istam gloriam *cap. 6. Es.* descriptam intelligi tandem respondet, *non inde tamen sequi, Christum esse illum Iehovam, cujus gloria sit visa: aliud enim esse, videre gloriam alicujus, aliud videre aliquem. Iohannem non dicere, ista locutum fuisse Esaiam, cum videret Christum, sed cum videret gloriam ejus. In illa unius Dei gloria Christi quoque contentam fuisse gloriam, non ut præsentis, sed demum in illam gloriam introducendi.* Reponimus I. nunquam gloriam Christi *in se* & quoad *actum primum* consideratam ab ipso Christo distingui in S. literis. Quoad *actum secundum* usurpationis & manifestationis quidem aliqua fuit discriminatio. Hinc δόξα dicitur μετὰ τὰ παθήματα *1. Petr. 1, 12.* Christus dicitur per passionem in gloriam introire, *Luc. 24, 26.* post passionem gloriâ & honore coronatus, *Hebr. 2, 9.* Nimirum, quia fuit quidem in se in gloria unigeniti filij Dei, *Ioh. 1, 14.* in gloria Patris, qua ipse in Patre & Pater in ipso fuit, unctus spiritu S. non ex mensura *Ioh. 3, 34.* adeoque omnem plenitudinem Deitatis σωματικῶς inhabitantem habuit *Col. 2, 9.* Splendor gloriæ Patris *Heb. 1, 3.* non tamen usurpavit formam Dei glorioſi, sed ἐκένωσεν ἑαυτὸν, μορφὴν δούλου λαβών

λαβὼν *Phil.* 2, 7. Retinuit interim illud πλήρωμα glorioſum, ex quo nos omnes omnia capimus. *Ioh.* 1, 16. II. In divinis *gloria Domini* & *Dominus* ipſe non ſunt ſeparata. Itaque viſa gloria Domini dicitur ipſe Dominus ſuo modo videri. *Ex.* 16. 7. 10. *c.* 24. 16. 17. *c.* 33. 18. 22. *c.* 40. 34. *Num.* 14. 10. 21. *c.* 16. 19. 42. *c.* 20. 9. 1. *Reg.* 8. 11. *Ezech.* 2. 1. *c.* 3. 12. *c.* 8. 4. *c.* 9. 3. *c.* 10. 4. *Act.* 7. 55. III. Is cujus gloriam vidit Eſaias, fuit præſentiſſimus, Dominus in ſolio elato & excelſo ſedens, *v.* 1. inter Seraphinos medius *v.* 2. ſanctus, ſanctus, ſanctus, Iehova exercituũ *v.* 3. Rex tremendus *v.* 5. pluralis *v.* 8. Itaque diſtinctio inter gloriam Domini & Dominum non habet locum.

§. 34. Quod attinet petitionem Chriſti *Ioh.* 17, 5. qua glorificari ſe juxta humanam naturam petit gloria illa, quam habuit ante mundi exiſtentiam, indeq; ſibi χθὲς πρόσωπον tribuit, equidem *Socinus contra Bellarm. & Wiekum cap.* 3. *p.* 135. *& ſeqq.* cenſet, *de gloria deſtinata, non reipsâ habita* ſermonem eſſe, *quia v.* 24. *ita Chriſtus rem declarat, cum petit videri à ſuis illam claritatem, quam dedit ipſi, quia ipſum dilexit ante mundi conſtitutionem. Et gloriam eſſentialem Deitatis h. l. non intelligi, patere ex eo, quia Chriſtus claritatem ſibi à Patre datam dicit ſese dediſſe diſcipulis ſuis v.* 22. *qui nec dum acceperant, niſi deſtinatione, nec ipſam infinitam Dei gloriam acceperunt. Denique ipſum B. Auguſtinum hunc locum diſertè de Prædeſtinatione explicare.* In eam ſententiam loquitur Oſtorodus *lib.* 2. *cap.* 6. ſed fallitur & hic & ille. Illa enim verba, ἔχειν παρὰ τοῦ πατρὸς δόξαν πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι *immediatè & primò* non *prædeſtinationem*, ſed *poſſeſſionem* denotant. Eſt enim *primò* primarius & communiſſimus iſtorum verborum ſignificatus, ut qui dicitur *aliquid apud aliquem habuiſſe* hoc aut illo tempore, eo tempore fuiſſe intelligatur & extitiſſe, quo hoc aut illud apud eum habere cœpit. Nam antequam quidem ipſe nondum fuit, nondum ipſe illud habuit, ſed alij ante illum. Iam in primario & communiſſimo ſignificatu immorandum, donec evidentibus argumentis conſtet, iſti principali ſignificatui inhæreri non poſſe. *Deinde* providentiſſima verborum conceptio expendenda eſt. Non legitur, Chriſtum dixiſſe, *ſe petere glorificari illa gloria*, quæ *fuit* apud Patrem *antequam mundus eſſet*, ſed quam *habuit*. Non de τῷ εἶναι gloriæ, ſed de τῷ ἔχειν loquitur. Itaque *durationem poſſeſſionis* gloriæ, non *diuturnitatem* aut æternitatem gloriæ allegat Salvator. Neq; *tertiò* locus S. literarum indicari poteſt, ubi, τὸ ἔχειν ſimpliciter alicui tum nondum exiſtenti, cum habuiſſe dicitur, tribui, animadvertere poſſimus. Imò quotiescunque

Locus Ioh. 17. 5. expl.

Socinus refellitur.

Christus in S. literis ali quid aut habuisse aut habere legitur, ut coexistens rei habitæ consideratur. *Matth.9.6. c.7.29. Marc.1.22. c.2. 10. c.3.15. Ioh.5.26. c.6.63. c.10.16.18. Hebr.2.14. &c.* Et quando *quartò* de prædestinatione sermo est, non dicitur prædestinatos *habuisse* æternam gloriam, antequam mundus conditus est: sed eos hæreditariam accipere felicitatem regni, ipsis præparatam *ante constitutionem mundi. Matth.25,34.* quodque habeant benedictionem *spiritualem, in supercœlestibus in Christo juxta electionem factam* in eo *ante constitutionem mundi Eph.1,4.* & quod salvati vocatique sint vocatione sancta *juxta propositum, & gratiam datam ipsis in Christo* πρὸ χρόνων αἰωνίων. *2.Tim.1,9.* & quod habeant spem, quam promisit mentiri nesciens Deus πρὸ χρόνων αἰωνίων. *Tit.1.2. Conf. Rom.16.25. Col.1.26.* Sic & Christus, ratione sacerdotalis muneris propitiationis nostræ causa dicitur προεγνωσμένον & πρὸ καταβολῆς κόσμου *1.Pet.1.20.* Hic verò & τὸ ἔχειν, & habens & habitum, & ubi & quando habitionis exprimitur, ut nulla possit apud Prudentes superesse dubitatio, de alio, quam præordinationis atque prædestinationis actu sermonem esse. Neque illud *quintò* prætereundum in pia meditatione precum Salvatoris, quod non tam ipsam gloriam petat, quam habuit, antequam mundus erat, quam ipsam glorificationem, hoc est, realem introductionem in ejus plenarium usum juxta humanam naturam hucusq; dilatum & intermissum. Dicit enim δόξασόν με τῇ δόξῃ &c. At si sermo esset duntaxat *de modo habendi* per prædestinationem, qui non tam *habendi* quam *habituriendi* modus est, non tam glorificationem per gloriam, quàm ipsam gloriam à Patre suo contenderet unigenitus Dei Filius. Sed & relationes in precibus Salvatoris *sextò* perpendendæ. Compellat illum, à quo contendit glorificari, ut Patrem in summo & excellentissimo significatu, tanquam ἴδιον πατέρα *Ioh.5.17.18.* cujus ille etiam est ἴδιος υἱὸς, *Rom.8.32.* Quapropter sese sistit in his precibus Salvator, ut υἱὸν, ait *v.1.* δόξασόν σου τὸν υἱὸν, ἵνα ὁ υἱὸς σου δοξάσῃ σε. Eo igitur modo dicit se habere gloriam, qui filio Dei proprio, unigenito, substantiali & naturali consentaneus est & proprius. Hic autem non est per modum *destinationis* & præordinationis solùm. Imò & observandum, *septimò*, quod preces Christi sint *humiliter sublimes*, & *sublimiter humiles*. Ad *humilitatem* pertinet, quod ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς εἰς τὸν οὐρανὸν *v.1.* petit. Ad *sublimitatem* referendum, quod 1. reciprocationem glorificationis inter se & Patrem ostendit,

ostendit quod 2. ἐξουσίαν πάσης σαρκὸς, quæ est infinita potestas (confer *Num.* 16. 22. c. 27, 16. *Ier.* 33, 27.) sibi tribuit *v.* 2. quod vitæ æternæ possessionem & fructum in Patris & sui agnitione indivisim fundat *v.* 3. quod ad gloriam habitam ante mundum conditum provocat *v.* 5. quod glorificationis paternæ consummationem in terris sibi vendicat *v.* 4. & quæ sunt sublimitatis argumenta alia. Si solo prædestinationis jure Christus illam gloriam, quam petit, habuisset, humilitati precationis istam sublimitatem, quæ meram Deitatem spirat, non miscuisset. *Octavò* autem sciendum, omninò gloriam, de qua Christus loquitur, quamq; sibi precatur, non esse finitam & derivatam, sed infinitam, archetypam & essentialem Dei gloriam. Est enim gloria filiationis summæ, è *v.* 1. de qua & *Ioh.* 1, 14, est gloria Domina omnis carnis, *v.* 2. quam infinitam & divinam esse superius annotata docent. Est gloria summi beatitudinis perpetuæ objecti. Copulari enim *v.* 3. Patrem & Filium, non ut causam primam & secundam, sed ut μόνον π, significatum est alibi. Est gloria indivisæ cum Patre possessionis, ob quam Filius ad Patrem inquit, πάντα τὰ ἐμὰ, σὰ ὄντα, καὶ τὰ σὰ ἐμὰ *v.* 10. Nec obstat, quod *v.* 22 dicitur, gloriam, quam Deus Pater dedit Filio, ipsũ Filium dedisse discipulis. Neque enim necessum est, ut concedamus, gloriam, quam Deus Pater dedit Filio, & Filius discipulis, esse gloriam personæ Christi, ἣν εἶχε παρὰ τοῦ πατρὸς πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι. sed gloria potest esse revelanda, & in orbem terrarum diffundenda, quam dedit commisitque Deus Pater Filio, quandoquidem in illo complacuit omnem plenitudinem habitare, *Col.* 1, 19. Ad quam gloriam pertinent τὰ ῥήματα, quæ dedit Deus Pater Christo, ipseque suis discipulis *v.* 8. quæ vocantur *v* 14. ὁ λόγος, quem dedit ipsis, qui est ἀλήθεια *v.* 17. per quem consilium aperitur & auxilium applicatur contra ὑστέρημα τῆς δόξης τοῦ θεοῦ *Rom.* 3, 23. in quo docetur ἐλαττερία τῆς δόξης τῶν τέκνων θεοῦ *Rom.* 8, 21. qui ipse habet δόξαν 2. *Cor.* 3. 7. & *seqq.* tanquam φωτισμὸς εὐαγγελίου τῆς δόξης τοῦ χριστοῦ, 2. *Cor.* 4, 3 καὶ θεοῦ *v.* 6. in quo lucet ὁ πλοῦτος τῆς δόξης τῆς κληρονομίας χριστοῦ *Eph.* 1, 18. tanquam in μυστηρίῳ, in quo est πλοῦτος δόξης *Col.* 1, 26. tanquam in Εὐαγγελίῳ τῆς δόξης τοῦ μακαρίου θεοῦ 1. *Tim.* 1, 11. Aut si omninò existimaverit quispiam, necessum esse, ut eandem gloriam statuamus Christo datam & Apostolis, dicendum erit, in ipsa datione esse diversitatem, adeò ut gloria Christo data juxta carnem eidem sit data ὑποστατικῶς, σωματικῶς & *personaliter*; gloria verò eadem Apostolis sit data *Objectivè*, velut id quod ipsis sufficienter re-

Ioh. 17, 22. explic.

velatum & abundanter fide sit complectendum & amandum, & alijs porrò communicandum. Id quod exinde patet, quia datio gloriæ Christo factæ est indicativa unigeniti filij Dei, est introductiva ad dominium universæ carnis, est indicativa Domini, est notativa objecti credendi ad salutem. Et eo modo data est Apostolis gloria Christi, ἵνα θεωρῶσι ut, quantum datum est in hac vita, fideli meditatione & mentis excitatione in altera autem perenniter & perfectissimè eam *contemplentur*, v. 24. Confer *ad hujus rei dilucidationem D. Gerhardum parte 3. Harm. Evangel. cap.* 180. *pag.* 1580. *& seqq. latè.*

Ioh. 17, 24. explic. Dilectio autem πρὸ καταβολῆς κόσμου qua Deus Pater Christum dilexit, de qua v. 24. omninò non repugnat existentiæ Christi πρὸ καταβολῆς & potest esse aliquid gloriæ illius, quam Christus habuit apud Patrem πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι. Istam enim summam & æternam unitatem inter Deum Patrem & Filium, summa & essentialis sequitur dilectio. Unde Christus nunc vocatur *unigenitus* Dei Filius, nunc ἀγαπητὸς; quia ἀγαπητὸς usu Helleniſtarum idem est, quod μονογενὴς, qua de re alibi. Confer LXX. translationem cum textu originali *Gen.* 22. 2. 12. *Ier.* 6. 26. *Zach.* 12. 10. *Amos* 8. 10. Et iste usus vocabuli ἀγαπητὸς etiam apud Profanos scriptores obtinuit. Astyanax ab Homero dicitur Hectoris filius ἀγαπητὸς. Ἐκπρεπὴν ἀγαπητὸν, ἀλίγκιον ἀστέϊ δίῳ. Glossator, ἀγαπητὸς, μονογενὴς. Hesychius, ἀγαπητὸν μονογενῆ κεχαρισμένον. Dilecti quidem dicuntur sancti ante conditum mundum, cum nondum extitissent, sed fundamentum illius dilectionis est ἠγαπημένῳ *Eph.* 1. 6. Ita alia est ratio ἀγάπης Patris in Filium, alia in sanctos. *Adde D. Gerhard. l. d. p.* 1604. *& seqq.*

Augustinus explic. Augustinus *tractat.* 105. *in Ioh. T.* 9. non de *gloria ipsa* loquitur, quasi ipsa non fuerit nisi in προορισμῷ divino, sed de *subjecto habituro gloriam*, quod ait esse Christum *secundum humanam naturam*; id dicit habuisse hanc gloriam *prædestinatione*. Christum enim secundum divinam naturam revera habuisse gloriam hanc infinitam, sufficienter ibi asserit. Rectè ergò h. l. Christo asseritur χθὲς προκόσμιον.

Pro æternitate quartum fundamentū. §. 35. IV. est ex *Conclusionis Apostolicæ requisito.* Vult Apostolus 1. solidissimum & efficacissimum collocare fundamentum *venerationis & imitationis* τῶν ἡγουμένων *Ducum* in militia spirituali ad victoriam mundi & consecutionem æterni triumphi. Collocat hoc: *Iesus Christus heri & hodie idem & in secula.* Syllogismus hic est: *Quibus Iesus Christus, cujus mysteria & beneficia annunciarunt, & pro quibus ad sanguinem usque depugnarunt, coævus fuit, qui & nunc est, & in sem-*

in sempiternum futurus est, illorum memoria & veneratio sacrosancta, itemq; imitatio debet esse religiosa. Ratio est: quia Dominus Iesus, qui olim constituit illos velut mysteriorum & beneficiorum divinorum præcones, pro cujus veritate atque gloria illi ad sanguinis usque profusionem depugnarunt, omninò vult eos tanquam suos thesaurarios, suos feciales atque caduceatores, militiæ suæ cœlestis antesignanos non oblivione ingratissima sepultos, sed memoria atque imitatione perpetua cultos. *Atqui ducibus fidei Hebræorum Dominus Iesus Christus, cujus illi mysteria & beneficia annunciarunt, & pro quibus ad sanguinem usq; depugnarunt, coævus fuit, qui & nunc est, & in sempiternum futurus est.* Ergò *Ducum fidei Hebræorum memoria apud ipsos sacrosancta, itemque veneratio atque imitatio religiosa esse debet.* Vel si ita mavis: *Qui verbi divini præcones à Iesu Christo tanquam cœlestis missionis ἀρχηγῷ missi sunt, qui & nunc est, & in æternum futurus est, illi & memoria & imitatione prosequendi sunt.* Ratio est: Quia quod Dominus Iesus tum, cum illos proposuit, animis eorum, ad quos missi sunt, impressum esse voluit & diligenter infixum, quodque exemplaris instar in illis lucere fecit, id tanquam perpetuus inspector cordium atque Ecclesiasticæ gubernationis perpetuò urget atque requirit. Atqui *verbi divini præcones apud Hebræos a Iesu Christo, tanquam cœlestis missionis ἀρχηγῷ, missi sunt, qui & heri fuit, & nunc est, & in æternum futurus est.* Ergò *& memoria & veneratione apud Hebræos prosequendi sunt.* Ita sanè aut similiter ex connexione *v.* 7. & 8 concludendum est, nisi velimus asseverare, *v.* 8. nullo cum respectu *ad versiculum* 7. in contextum verborum divinorum esse insertum.

§. 36. Atqui nunc perpendendum est, qui nam sint Hebræorum ἡγούμενοι, οἵτινες ἐλάλησαν ὑμῖν τὸν λόγον τοῦ θεοῦ. Ionas *Schlichtingus* à Bukovvic *Comm. h. l. p. 661.* ut Socini hypotheses tueatur, quas sequitur, per Duces illos intelligit *Apostolos quosdam primos & qui primis proximè successerunt.* Subscribit Pelicanus & Bullingerus *h. l.* è Zvingliana schola. Dionysius Carthus. Salmeron, Estius, Cornel. à Lapide &c ultra Apostolos & Episcopos non extendunt. Erasmus ita παραφράζει v. 7. ut appareat, eum ἡγεμένες duntaxat præsentes intelligere. *Rationem habete eorum, qui præsunt vobis, à quibus accepistis non humanam doctrinam, sed verba Domini, curateque ne quid illis desit rerum necessariarum. Horum verbis quemadmodum ab initio credidistis, ita vitam illorum velut scopum intueamini, ac fidem imitemini, considerantes, qua constantia perseverent in Evangelio &c.*

Qui ἡγέμενοι Heb. 13. vers. 7?

lio &c. Ex antiquis Theodoretus *h.l.* ad *defunctos* refert, & meminit quidem *Stephani, Iacobi &c.* addit autem, *plurimos alios Iudæorum rabie peremtos esse.* Chrysostomus *hom.33.in Ep.ad Hebr.* de hac ad μνήμην τῶν ἡγουμένων cohortatione ait, Τοῦτο ἄνωθεν ὤδινεν εἰπεῖν, *hoc jam superius dicere parturiebat.* Dixit autem superius de ἡγουμένοις V.T. copiosè. Nihil igitur impedit quo minus cum D.Ægid.Hunnio nostro doctrinali i.h.l. sub ἡγουμένων ambitu comprehendamus *Patriarchas, Sacerdotes, Prophetas, quorum omnium ἀρχηγὸς est Iesus Christus, spiritu suo jam olim illos gubernans, ut de rebus ad salutem sempiternam pertinentibus loquerentur.* Nam *primum* illi revera fuerunt ἡγούμενοι Hebræorum, qui ipsis τὸν λόγον θεοῦ ἐλάλησαν, quorum ἔκβασις ἀναστροφῆς perpetua ἀναθεωρία consideranda & imitanda. Illi sunt μαρτυροῦντες χειρῶν, ἄφεσιν ἁμαρτιῶν λαβεῖν διὰ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ πάντα τὸν πιστεύοντα εἰς αὐτόν. *Act.*10.43. extra quorum λαλούμενα nihil dixit S.Paulus *Act.*26.22. qui *de gratia in N.T. dispensata vaticinati sunt & scrutati, in quem aut qualem temporis articulum prænuncius ille, qui in ipsis erat, Christi spiritus declararet evenientes Christo perpessiones & gloriam illas consecuturam, quibus revelatum est, eos, si facta & miranda exhibenda considerarent, non sibi sed nobis ea administrare, quæ nunc annunciata sunt per eos, qui evangelizarunt per emissum è cœlo spiritum s. quæ cupiunt angeli introspicere*, quorum fructus in omnia retrò secula valuit. 1.*Petr.*1.12.12. illi sunt sancti Dei homines, à quibus habemus βεβαιότερον προφητικὸν λόγον, qui locuti sunt φερόμενοι ὑπὸ πνεύματος ἁγίου 2.*Pet.*1.21. Thomas Aquinas *lect. 1. ad cap.*13.*ad Hebr.h.l.* accommodat *Esaiæ* 51. Attendite *ad Abraham Patrem vestrum &c.* & 1.*Maccab.* 2. Mementote *operum Patrum, quæ fecerunt in generationibus suis & accipietis gloriam magnam &c.* & *Iac.* 5.10. ὑπόδειγμα λάβετε, τῆς κακοπαθείας, καὶ τῆς μακροθυμίας, τοὺς προφήτας, οἱ ἐλάλησεν τῷ ὀνόματι κυρίου. Nec obstat, quod v.17. & 24. per ἡγουμένους superstites Evangelij Doctores ad N.T. pertinentes intelligantur. Sunt enim omninò diversi ἡγούμενοι, de quibus *vers.*7. loquitur, ab illis, quorum observantiam & salutationem commendat v.17. & 24. *Illi* sunt, qui ἐλάλησαν τοῖς Ἑβραίοις τὸν λόγον θεοῦ: hi, qui adhuc loquuntur, qui adhuc vigilant pro animabus Hebræorum, qui adhuc in opere laboris Evangelici sunt. Itaque *illis* debetur μνήμη seu μνημόσυνον, quod præsentibus & quotidiana visibili conversatione inter ipsos Hebræos commorantibus non congruit. *His* πειθὼ sive παιδαγωγία & officia Christianæ charitatis viventibus

bus præsentibus debita. In illis attendenda est diligenti ἀναθεωρία ἔκβασις τῆς ἀναστροφῆς. *Hæc* est consummata militia, finis omnis conversationis. Cum enim in ipsa ἀναστροφῇ plurimæ mutationes intercurrant, in ipsa ἐκβάσει est συνδρομὴ omnium virtutum per universum ἀναστροφῆς tempus collectarum, omnium virium eluceſcit ἐνέργεια. Itaque *illa* quam maximè illustris est & animadvertenda. Unde & μαρτύριον vocitabatur. Oecumenius existimat *h.l.* non de defunctis duntaxat, sed & viventibus posse illa verba accipi. Δύναται, inquit, τὸ τοῦτο καὶ περὶ τῶν τετελευτηκότων εἰρῆσθαι καὶ περὶ ζόντων. Τετελευτηκότων μὲν, θεωρήσαντες, φησὶ, πῶς ἐξέβησαν τὸν βίον, ποίᾳ ἀναστροφῇ ἐχρήσαντο ἐν τῷ κόσμῳ, μιμεῖσθε τὴν πίστιν. Εἰ γὰρ μὴ ἐξεπίδοσαν ἐκεῖνοι τοῖς μέλλουσιν, οὐκ ἂν ἀρίστην ἐπεδείξαντο πολιτείαν. Περὶ ζόντων δὲ, θεωρήσαντες, φησὶ, πῶς διεξέρχονται καλῶς τὴν ἐν τῷ βίῳ ἀναστροφήν. At verò aliud est ἀναθεωρεῖν τὴν ἔκβασιν τῆς πολιτείας seu ἀναστροφῆς, & aliud est ἀναθεωρεῖν τὴν ἀναστροφὴν μέχρι τῆς ἐκβάσεως. Unde Phavorinus reddit, ἔκβασιν, τὴν πλήρωσιν, τὴν παῦσιν. & ipse Oecumenius, τὴν ἄχρι τέλους πολιτείαν. Est enim ἔκβασις ἀναστροφῆς, sicut ἔκβασις πειρασμοῦ 1. Cor. 10. 13. *finis*. Syrus *h. l.* usurpat שׁוּלְמָא, quod significat συντέλειαν, Matt. 13, 39. 40. 49. c. 24, 3. 6. 14. c. 28, 20. Ista ergò ἀναθεωρία τῆς ἐκβάσεως ἀναστροφῆς est ἐν μνημείοις monumentis publicis, quibus τῶν ἐκβάντων certamina, trophæa, virtutumque documenta continentur. Sic ἀναθεωρία τῶν σεβασμάτων *Act.* 17. 23. Itaq; observare contentionem sanctorum per varia certamina usq; ad felicem tandem ἔκβασιν contendentium, non est ἀναθεωρεῖν τὴν ἔκβασιν &c. Atqui si ἡγούμενοι, de quibus Apostolus, non de *viventibus & superstitibus* sunt capiendi, non opus est, ut ad sola tempora Apostolica redigamus illorum ἡγουμένων μνημόσυνον. Quod & *deinde* ex antecedentibus eluceſcit: Quid enim obstat, quo minus nos ἡγουμένων memoriæ commendatissimæ includamus eos, quorum πίστιν, ἡγεμονίαν & ἔκβασιν copiosa deduxit narratione? quos tanquam νέφος μαρτύρων *Hebr.* 12, 1. Hebræis proposuit? de quorum diversissimis, memorandis tamen omnibus, ex hac vita excessibus locutus est *cap.* 11, 33. 34. 35. 36. 37. 38. qui omnes fuerunt μαρτυρηθέντες διὰ τῆς πίστεως *v.* 39. Quid opus est, exemplis omninò non commemoratis τῶν ἡγουμένων, ἀξιομνημόνευτον ἔκβασιν habentium, inhærere tantum, ubi paulo ante ipse contextus Apostolicus suggessit plurima. Si autem per ἡγουμένους intelliguntur etiam Patriarchæ, Sacerdotes, Prophetæ, adeoque homines sancti, ante incarnationem

Christi existentes, præcones Hebræorum fidi & constantes, jam Christus eorum coævus, ἀρχηγὸς, Deus & Dominus erit, adeoque χθὲς ipsius antiquius erit, quam ut ad ullum tempus finitum præcisè adstringi queat.

§. 37. Vult autem Apostolus II. ex hoc theoremate, quo *Iesus Christus, heri, hodie & in secula idem*, dicitur, etiam alterum stabilire πόεισμα, *varijs & peregrinis doctrinis nos non debere circumferri*, quod habetur *v.* 9 Syllogismus Apostolicus hic esse potest. *Quæ doctrina fuit ab omni æternitate in arcano Sacrosanctæ Triadis consilio definita, postea ab origine mundi à sanctissimis viris tradita, denique futura est in perpetuum & obtentura contra omnes alias doctrinas victoriam, illa nequaquam cum varijs & peregrinis doctrinis permutanda est.* Quia tantæ præstantiæ est, ut nulli novitiæ opinatiunculæ postponenda sit. At *doctrina de salute per Christum impetranda fuit ab omni æternitate in arcano Sanctæ Triadis consilio definita, postea ab origine mundi à sanctissimis viris tradita, denique futura est in perpetuum & obtentura contra omnes alias doctrinas victoriam.* Ergò *Doctrina de salute per Christum impetranda nequaquam cum varijs & peregrinis doctrinis permutanda est.* Minoris probatio continetur *v.* 8. Licet enim aliqua ejus ulterior probatio ad specialem casum consistat in verbis, καλὸν γὰρ χάριτι βεβαιοῦσθαι τὴν καρδίαν, οὐ βρώμασιν &c. quæ ad doctrinam peregrinam *discrimina otiosa ciborum* urgentem confutandam pertinent, maximum tamen robur minoris in *v.* 8. consistit, in quo χθὲς καὶ σήμερον καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας fuisse Christus dicitur. Sume autem, per χθὲς intelligi duntaxat tempus *ab origine Christi* κατὰ σάρκα hactenus deductum, quantum argumento robur decedet? Quam proclive erit, defensoribus peregrinarum doctrinarum prætendere antiquitatem hac origine Christi superiorem & jactare, suam doctrinam ipso Christo esse antiquiorem & diuturniorem? Itaque illud χθὲς, quo Christus Iesus fuisse, & tanquam prima atque summa veritas revelans, ac solidæ inq; Dei domo resonantis doctrinæ dictator fuisse dicitur, omninò non ad definitum tempus aliquod restringendum est, ante quod Christus non fuerit. Unde liquet, quomodo accipiendum sit, quod *Hebr.* 1, 1. dicitur, πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως locutum fuisse quondam Deum Patribus, ultimis verò demum temporibus locutum esse ἐν τῷ υἱῷ, nimirum διακονικῶς *ministerialiter*, quatenus nempe ἀποστολοσώπως, ut minister generis humani & inprimis circumcisionis, laboravit

Locus Hebr. 1, 1. explic.

in

in patefaciendo verbo Dei. Non igitur iſte locus debet ad negandam *Ieſu Chriſti exiſtentiam* ante φανέρωσιν ἐν σαρκὶ detorqueri, quæ totuplicibus documentis ex Epiſtola ad Hebræos confirmatur.

§. 38. Adde, quando Apoſtolus commonefacit, ut reſpiciamus ad βεβαίωσιν τῆς καρδίας, quæ fit χάριτι, eum reſpicere ad eum, à quo gratia γέγονεν *Ioh.* 1, 17. χάρις καὶ ἀλήθεια διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐγένετο. Itaque ubi ubi gratia & veritas ſalvifica, ibi Ieſum Chriſtum autorem agnoſcit. Atqui & in V.T. eſt gratia & veritas. *Act. 15, 11. Per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti credimus ſalvari, quemadmodũ & illi.* Smalcius *contra D. Franzium diſp. 4. θ 6. p. 96.* diſputat, *verba,* quemadmodum & illi, *non ad Patres proximè nominatos, ſed ad gentes referri. De his enim,* inquit, *ſermonem inſtituerat Petrus, & de his dixerat* v. 8. qui novit corda Deus, teſtimonium perhibuit illis, *ſcil. gentilibus,* dato illis, *ſcil. gentibus,* ſpiritu S. ſicut & nobis, *ſcil. Iudais,* & nihil diſcrevit inter nos & illos, *ſcil. gentes,* fide purificans corda eorum *ſcil. gentium. Quas gentes* v. 10. *diſcipulos appellat. Nec quicquam refert, quod in Græco, quemadmodum* & illi, *ſit genus maſculinum, vox verò gentium neutrius generis. Solet enim hæc vox* gentium *in S. literis cum pronominibus diverſi generis jungi. Matth. 28, 19. Et præterea poſſunt illa verba,* ut & illi, *referri ad vocem* diſcipulorum, *quæ ejusdem eſt cum pronomine* illi *generis.* Verba verò, quemadmodum & illi, non ad *remotum,* ſed ad *proximum* ſubjectum, hoc eſt, non ad *diſcipulos,* ſed *Patres* referenda eſſe, comprobat 1. *naturalis collocatio Verborum,* quâ ſervatâ relativa vox proximum ſubjectum ſpectat, non remotum. 2. *generum conformitas.* Etiamſi enim alibi inveniantur loca conſtruentia τὸ ἔθνος cum relativo maſculino, id tamen partim tum fit, ubi nullum aliud ſubjectum relativo congruit, partim tum, ubi nullum aliud ſubſtantivum maſculinum occurrit. 3. *Apoſtolica intentio.* Quærebatur tum temporis, *quomodo Apoſtoli, Apoſtolorumque ex gentilibus diſcipuli ſalvari debeant?* Reſponderunt Novatores; *non ſola fide in gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſed operibus etiam.* Negarunt id orthodoxi in Synodo Hieroſolymitana. Medium probandi multiplex in medium attulit Petrus. I. *quia* cum olim ipſe vocatus erat & excitatus ad prædicandum gentilibus & fidem in ipſorum cordibus excitandam, nullam *conditionem* operum, tanquam concauſarum ſalutis, acceperat v. 7. II. *quia* gentiles ad gratiæ & reconciliationis pleniſſimæ conteſtationem divinitus mirandum Spiritus Sancti donarium acceperant etiam non præſtita operum conditione v. 8. III. *quia* Deus cordi-

Locus Act. 15, 11. explic.

um inſpector nullo inter obſervatores operum & non obſervatores habito diſcrimine gentilium *corda* penitus *fide purificavit*, v. 9. IV. *quia* conditio operum eſt *jugum* etiam ſanctiſsimis V. Teſtamenti Patribus *intolerabile* v. 10. V. *quia* quoad ſalutis conſecutionem & juſtificationem nihil aliud diſcipulis & hominibus N. Teſtamenti imponi aut oſtendi poteſt, quàm gratia Domini Ieſu Chriſti, quæ & Patribus oſtenſa fuit. Ita profectò concludit Petrus. Si κἀκεῖνοι ſunt μαθηταὶ, jam illi, de quorum juſtificatione & ſalvatione *quæſtio* erat, *exemplum mediumque probandi & ratio decidendi* fuerunt. Sanè perperam per κἀκεῖνοι μαθηταὶ intelliguntur. Illi enim per κἀκεῖνοι intelligi poſſunt, qui poſſunt eſſe norma & exemplar, καθ' ὃν τρόπον Apoſtoli & Sancti reliqui juſtificari poſsint. Ita namque S. Petrus: Διὰ τῆς χάριτος κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ πιστεύομεν σωθῆναι &c. Ubi omnes, quotquot in N. T. juſtificationis modum atque ordinem quærunt, intelligere fas eſt ut ſit ſenſus, *credimus per gratiam Domini Ieſu Chriſti ſalvari*, aut ſalutem comparari (ſc. à quibusvis, qui ſalvantur) ad eum modum &c. Atqui μαθηταὶ non poſſunt eſſe norma & exemplar, καθ' ὃν τρόπον Apoſtoli & Sancti reliqui juſtificari poſsint. E contra Patriarchæ & ſancti V. T. poſſunt eſſe norma & exemplar. Ita producuntur *Rom.* 4. ubi Apoſtolicus ſyllogiſmus. Καθ' ὃν τρόπον juſtificatus fuit Patriarcharum maximus & regum Iſraëliticorum ſanctiſsimus, eo modo omnes decet juſtificari. Atqui per fidem &c. Hinc *Gal.* 3, 9. dicimur in N. T. ex fide benedici σὺν τῷ πιστῷ Ἀβραάμ. Et *Hebr.* 4, 2. Ἐσμεν εὐηγγελισμένοι, καθάπερ κἀκεῖνοι. Manet igitur hoc, Ieſum Chriſtum eſſe ſalutiferæ doctrinæ, & in univerſum gratiæ ſalvificæ fontem & originem in V. & N. Teſtamento. Unde jam porrò innoteſcit, quousque ſese ejus exiſtentia & illud χθὲς extendat, quod Apoſtolus *peregrinis doctrinis* ſolidè opponi poſſe docuit.

Pro æternitate quintum fundamentū.

§. 39. V. eſt *ex aphoriſmi Apoſtolici parallelo*. Eſt is in primis ex *Apocalyps.* 1, 8. ubi Chriſtus ait: Ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος, λέγει κύριος ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, ὁ παντοκράτωρ. Unde ita argumentamur: Qui ita χθὲς καὶ σήμερον καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας eſt, ut ſit ſeculorum α & ω. ἀρχὴ καὶ τέλος, ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, ille eſt *abſolutè* æternus. At Chriſtus Ieſus ita eſt χθὲς &c. Ergò &c. De *Chriſto Ieſu* ſermonem eſſe *v.* 8. patet, *tum* quia hæc vox Dominica immediatè cum deſcriptione Ieſu Chriſti *v.* 5. & 6. itemque cum prænunciatione adventus ejus in nubibus conjungitur, in quo ab omnibus orbis tribubus videndus & ab illis cumprimis conſpiciendus erit, qui

qui ipsum transfixerunt *v.7.tum* quia *v.11.* idem disertè eadem vocabula sibi tribuit & de se repetit *v. 17. & c.2.8. & c.22.13.* Excipit *Socinus* contra allegationem illorum verborum, *Ego sum* A & Ω. *principium & finis, primus & novissimus*, contra *Bellarm. & Wiek. cap. 3.p.143. & seqq.* Christum *per illa verba non dicere, quod sit absolutè primus & novissimus: I. quia* A & Ω *per quas literas istud designatur, non sunt absolutè primum & novissimum, sed duntaxat prima & ultima litera in græcanico alphabeto, possunt igitur etiam aliquid in certo genere primum & novissimum denotare. II. quia ne verba quidem Esaiana Deum ut absolutè primum atque novissimum Israelitis proponunt cap. 41.4. c.44.6. c.48.12. uti fatentur Oecolampadius & Calvinus, qui ita exponunt, ut disertè non æternitatem Dei illis describi indicent, sed perpetuitatem in conferendis erga gentem Israelis beneficijs. Posse igitur eadem ratione Christum quoque respectu salutis nostræ dici primum & novissimum. III. quia se hoc sensu primum fuisse & novissimum innuit v.17. & 18. ubi ait:* Et vivus, & fui mortuus, & ecce sum vivens in secula &c. q.d. *Propterea primum & ultimum me vocavi, quia etsi, dum primus æternam mundi salutem operor, mortuus fui, tamen revixi & vivo, vivamque perpetuò & inchoatum opus ad finem ego perducam, & meos omnes à mortuis excitabo.* Sed respondemus ad I. ista Cabalistica appellatione, quæ ex literis alphabeti depromta est, omninò indicari absolutam summitatem & supereminentem omnibus Christi durationem. Sicut enim in ordine literarum, è quibus λόγος προφορικὸς constituitur, A & Ω apud Græcos primum & ultimum locum occupant, sic in ordine rerum ὁ λόγος ὑποστατικὸς absolutè primi & novissimi locũ habet. Neq; enim ulla indicatur limitatio, nec fit insinuatio certæ alicujus rei, aut operationis, in qua duntaxat ἀρχὴ καὶ τέλος sit Christus. Syrus interpres verba illa Ἐγώ εἰμὶ τὸ Α καὶ τὸ Ω Apoc. 1,8. reddit אֲנָא אנא אלם ורך sed *vers.* 11. transfert; אנא אנא אורים והמא *Ego sum Vrim & Thummim.* Nihil autem obstat illa translationis diversitas, quo minus utrobique eandem amplitudinem illa loquendi ratio designet. Ad II. non opus est, ut verba Dominica ad subjectam materiam contrahamus & ab æternitatis significatione cum Calvino, qui hac de causa rationem Deo redditurus est, secludamus. Longè sanè fortius concludunt, si in omni rerum ordine Deum primum & novissimum, hoc est, potestate, duratione, sapientia, providentia omnia superexcedentem esse dixerimus. Qui enim hac Majestatis amplitudi-

Socinus refellitur.

Locus Ap.1,8. explic.

plitudine Israëlitis sese proponit, is suum etiam in Israelitas beneficium complectitur. Sed & si *cap.* 41. antecedentia & verborum Dominicorum ambitum, si *cap.* 44. tenorem & inprimis, quod his verbis in unitatem divinam & consequenter æternitatem, infinitatem, omnipotentiam & omnisapientiam sese collocet Deus, cum addit, & *præter me non est Deus*, si *cap.* 48. hæc verba cum creatione cœlorumque expansione connecti consideraverimus, clarissimè patebit, non certi generis summitatem & eminentiam Deo ista asserere, sed absolutam. Eandem autem Christum sibi, transumtione illorum verborum, vindicare, *tum ex uniformitate* verborum liquet, quæ præsumuntur uniformem retinere sensum, donec aliud evincatur ex circumstantijs; *tum ex eo* etiam eluceſcit, quod Christus se vocat *principium & finem, primum & novißimum*, recepto in Ecclesia sensu. Quando enim Christus suam gloriam, in qua est, exclamando publicare satagit, usus illis verbis, quibus jam olim gloria summi & immensi Dei in Ecclesia proclamando innotuit, aut debuit Christus illa verba limitationibus quibusdam ad certum ordinem rerum constrinxisse, si non in ista amplitudine, quam usu obtinuerunt, ista sibi vindicasset, ne videretur gloriam Dei sibi rapuisse; aut colligendum est, quia nulla limitatio verbis adjecta comparet, solennibus & receptis terminis illa sibi Christum applicasse, atque adeò Christum esse eum, qui in V. T. quoq; istam sibi durationis majestatem attribuit. Ad III. Tantum abest, ut illa verba *v.* 17. 18. determinétur, ut illis potius, objectio aliqua, quæ æternitati Iesu opponi posset, solvatur. Cum enim dici potuisset: *qui est primus & novißimus, vivensq; vita divina supra omnem creatam perfectionem eminente, quomodo ille mori potuit?* Respondet Christus *v.* 18. se mortuum fuisse, sed *nulla naturæ necessitate* aut *hæreditaria obligatione*, sed *liberrima sponsione*, utpote potestatem habentem inferni & mortis, nihilo tamen minus esse ζῶντος αἰῶνας τῶν αἰώνων redivivum.

An Christus dicatur ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν &c?

§. 40. Ad posteriora verba, quibus diximus, Christum sibi tribuere, quod sit ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, excipit Socinus *libro dicto p.* 114. *& seqq.* ea *nullibi Christo attribui. Apoc.* 1, 4. *Patri assignari, qui à Christo, cujus v.* 5. *demum mentio fit, distinguitur. Ap.* 4, 8. *ei rursus assignari, qui ab ἀρνίῳ distinguitur cap.* 5. 13. Respondemus *c.* 1, 8. omninò Christo tribui, ob rationes allegatas. Quod *v.* 4. *cap.* 1. Patri tribuatur, inde fit, quia non est *prædicatum relativum* & incom-

communicabile, sed *absolutum*, quod nomen *Iehovæ* mystica quadam ratione evolvit, *de qua disp. 11. Pentadec. θ. 4. & seqq.* Nomen autem *Dei* atque *Iehovæ* nunc *absolutè & essentialiter* usurpari, nunc *relatè & personaliter*, tralatitium est. *Confer disp. 9. part. 2. Theolog. Zachar. §. 3. & seqq.* Ita quoque perfectiones Dei absolutæ nunc *absolutè* considerantur, & attribuuntur, nunc *relatè*. Id tamen non est prætermittendum, quod dicitur ἐρχόμενος, Deo Patri *in Christo* convenire, qui *propriè* est ἐρχόμενος, cui etiam Pater potestatem dedit faciendi judicium *Ioh. 5, 27.* Hinc *v. 7.* salutatione absoluta, ne quis existimaret, Deum Patrem ἀμέσως esse ἐρχόμενον, *quasi limitatio* additur, & dicitur, ἰδοὺ ἔρχεται μετὰ τῶν νεφελῶν &c. nimirum ἐν τῇ δόξῃ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ &c. *Marc. 8, 38.* Imò denique *Iesus Christus v. 8.* ipse dicit, se esse α καὶ ω, &c. & eum, ὁ ἦν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος. Nam κύριος λέγων *cap. 1.* est Iesus Christus, ut ex contextu lucet. Quod *cap. 4. 8.* inter καθήμενον ἐν τῷ θρόνῳ & ἀρνίον sit distinctio, non liquet. Visio *capitis 4* magnam habet conformitatem cum visione *Esaiæ 6*, unde & in hac τρισάγιον auditur. Itaque & Dominus Iesus est ille, cujus gloria in throno hoc cœlesti & hac visione luxit. Habet item magnam conformitatem cum visione *Ezech. 1.* in qua in medio throni fulgore quidam apparuit *quasi Filius hominis*, quod ad innuendum futuræ incarnationis mysterium pertinet. Siq; verba à Christo de se *cap. 1.* usurpata cum verbis in ipsa visione & sanctorum veneratione usurpatis contulerimus, magna apparebit concordia. Itaq; καθήμενος ἐπὶ τοῦ θρόνου est ipse Dominus Iesus, supra angelos omnes exaltatus, adeoq; ab illis sanctissimis myriadibus circumdatus. Nam hoc est *supra angelos & principatus esse*, divinè illos habere sibi subjectos & ministrantes. Et requirit hoc series visionum. Postquã enim *cap. 3, 21.* Christus sessionem in throno divino suam celebravit, *cap. 4.* visionem novam ordinat, qua majestas sessionis in throno explicaretur. Quod verò *cap. 5.* inter sedentem in throno & agnum distinctio aliqua fit, non arguit, quod Christus non sit sedens in throno. Nam non est una persona divina, quæ sedens in throno est. Unde copulantur *v. 13.* in unam δοξολογίαν, ut perinde sit, ac si cantitassent angeli, *gloria Patri & Filio*. Patescit ergò ex hac collatione, quantum χθὲς Christo attribuendum sit, nimirum quod posito quocunque tempore antiquius est.

§. 41. Quando autem Iesus Christus dicitur fuisse χθὲς, intelligitur 1. ipsius *divina essentia*, qua est ab æternitate in æternitatem, velut Deus benedictus in secula, *Rom. 9, 5.* & indivisus perpetuusq;

tuusq; splendor gloriæ Patris. *Hebr.* 1,3. magnus Deus *Tit.* 2,13. beatus & solus Dominus, Rex Regum & Dominus Dominantium, qui solus habet immortalitatem, qui habitat lucem inaccessam, &c. 1. *Tim.* 6, 14. 15. 16. *Iudæ* 4. II. Ipsius divina attributa, *sapientia, potentia, gratia, gloria, infinitas, immensitas, simplicitas &c.* Est enim in quovis χρόνος elapso & etiam imaginabili, adeoque ab æterno, summæ sapientiæ, potentiæ, gratiæ, gloriæ, quia nullum tempus assignari potest, quo istas perfectiones aut acquisiverit Christus, aut auxerit, quia semper habuit, si in ejusmodi illum χρόνος considerem⁹, quod ante explicavimus, & *æterna duratio absoluta* cum infinitate, immensitate, & simplicitate *indivisè* consistit. III. Ipsius *pro salute generis humani decretum.* Indicat enim Apostolus, dum indicat illum χρόνος *illimitatè*, atq; adeò *semper* fuisse, eundem quoq; respectu decreti illius & affectus erga generis humani salvationem χρόνος illimitatè, atq; adeò semper fuisse. Hinc 2. *Tim.* 1, 9. *gratia divina* dicitur nobis δοθεῖσα ἐν χριστῷ Ἰησοῦ πρὸ χρόνων αἰωνίων. Ubi *tempus* decreto divino hominibus datæ gratiæ *primum* indicatur, scil: πρὸ χρόνων αἰωνίων: & additur *finus decreti*, ipse scil. ὑὸς, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς. *Ioh.* 1, 18. Iesus Christus: in eo enim & *ut autore*, & *ut causa promeritura* bona sempiterna *decreto divino* ordinata, & *ut revelatore* decreti *futuro* πρὸ χρόνων αἰωνίων datio illa cœlestis facta est. Malè itaq; ab orthodoxæ antiquitatis vestigijs, quæ ipse legit, recedit Cornel. à Lap. *h. l.* dum non *æternitatem & divinitatem Filij* his verbis insinuari, sed hoc indicari voluit, *gratiam illam in Christo, h. e. ob prævisa Christi merita decretam esse.* Licet namque hoc verum sit, nō tamen exhaurit amplitudinem verborū Apostolicorum. Sic & *ante conditum mundum sumus dilecti in dilecto* non duntaxat *prævisi*, quod ad futurum mysterium pertinet, sed etiam *existente*: *Eph.* 1, 4. 6. IV. Ipsius in omni χρόνος necessitatis humanæ pro salute *providentiam*: scil. quam primum Salvatore indigere cœpit genus humanum, Iesum fuisse suo modo Salvatorem & auxilia divina contulisse, adeò, ut posito quocunq; χρόνος, in quo aliqua spiritualis difficultas genus humanum invaserat, idem eundem auxiliatorem habuerit, & posito etiam quovis ἄνειον, aut quoties σήμερον orietur, in quo necessitates animæ salutem & sapientiam postulaverint, à Christo omnium necessitatum antidotum requirendum sit. Hinc & *cap.* 3, 2. 3. 4. 5. *ad Hebræos* dicitur Christus κατασκευάσας *fabricans domum Dei, cujus Moses minister fuit.* Moses autem non minister fuit *Ecclesiæ*, quà

Christo

Christo incarnato coæva est, & p ipsius Apostolorũq; ejus ministeriũ etiam plantata est, sed *sibi coætaneæ*, cui velut *Propheta & Legatus Dei* præfuit. Ergò Christus etiã *Ecclesiam Mosaicam* constituxit. Et quid multis? Nunquam & nullibi fuit salus, nisi in ipso. *Act.* 4, 12. *Ioh.* 1, 9.

CAP. VI. Alienæ interpretationes aphorismi Apostolici expendunt. tur, Smalcij, Tigurinorum Bullingeri, Calvini, Hyperij, Bruccioli.

42. Textu sic enucleato & exposito certis fundamentis, falsas aut alieniores interpretationes Autorum expendamus paucis! Erratsi propositionis nostræ Apostolicæ *subjectũ* expendamus Smalcius, qui *disp.* 4. *contra Franz. thesi* 8. *p.* 98. ait, *per Christum Iesum non intelligi ejus personam, sed per metonymiam causæ doctrinam, quia opponitur falsis doctrinis.* Inclinat huc Smalcij assecla Ion. Schlichting, *Com. h. l.* & utriusq; antecessor Socin⁹ *cõtra Bell. & Wiek. cap.* 7. *p.* 433. E Schola Zwingliana accedunt Tigurini *in notis Bibl.* Bullinger *Com. h. l.* Calvinus *C. h. l.* Hyperius *C. h. l.* Antonius Bruccioli *in not. Ital.* contra quamplurimos ex eadem schola: Diodatum, Genevenses, Piscatorem, Tossanum, Polanum *in not. & scholijs h. l.* Petr. Martyr *Loc. Cõ. class.* 2. *c.* 17. *p.* 298. *& class.* 3. *cap.* 15. §. 19. *p.* 484. Ies. Christi æternitatem hinc concludit. Taceo alios. Et ratio nulla est, cum absolutè positum sit nominum beatissimorum par, *Iesus Christus*, cur *primariam* & ut loquuntur *famosißimam* significationẽ deserere debeamus. Præsertim cum & illud certissimum sit, Iesum Christum nullibi in S. literis duntaxat *pro doctrina Iesu Christi* nominatũ fuisse. Neq; ut h. l. eousq; prolabamur, cogit oppositio. Est n. validissima oppositio, si per *Iesum Christum* ipsum autorem salvificæ doctrinæ intelligamus. Quã validè enim concluditur in hanc sententiã? *Qui habent doctrinam ab eo fonte promanantem, qui ab æterno fuit, nunc est, & in æternum futurus est, illi ad peregrinas doctrinas nequaquã deferri debent.* Rursus, *si prædicatum* propositionis nostræ meditemur, errat Socin⁹ *l. c. prædicatũ hoc* dicens, *si de durationè à parte ante loquamur, indicare potius, ipsum nõ admodum diu extitisse.* Sequũtur Smalcius & Schlichtingius. E Pontificiis Thomam Aquinatem *h. l.* secutis Iac. Thirin. Iesuit. *h. l.* ita reddit: *Iesus Christus, qui heri, id est, tempore recens elapso fuit & vixit, is etiam est hodie, h. e. præsenti tempore, vobisq; adest æquè potens, æquè munificus, & aderit semper & ubiq; & in omnibus rebus.* Ita *Cyrillus, Thomas, Anselmus, Galen⁹, Ribera, Corn. à Lap.* Corn. à Lap. *h. l.* notat ex *Cyrillo* & *Ambrosio*, eos *æternitatẽ divinæ naturæ* ex duratione χρὸνος concludisse. Ipse autem reponit, *heri significare paulo ante, adeòq; optimè τὸ heri & hodie de tẽpore nuper elapso posse explicari & ad humanã naturam, qua inter Iudæos Christus apparuit, referri.* Sequuntur Guilielm. Estius, & Ben. Iustinian⁹ *Com. h. l.* Contra Græcorũ Patrum consensum, qui excepto uno Gregorio

Socini.

Thirini.

Cornelij à Lap.

Nazianzeno τὸ χθὲς referunt ad *durationē per omnia retrorsum mūdi secula* & consequenter *æternitatem*: quanquam & Nazianzenus verbis *p.*8. à nobis adductis in eam quoq; cōcedere videatur sentētiā. Habent verò Iesuitæ sibi insuper adversarios Lombardum, Hugonem de S. Caro, Lyranum, Gorranum, Thom. Cajetanum, Franc. Titelmannum, Ioh. Gagnejum, Iacob. Fabrum, Ariam Montanū, Ioh. Arboreum, Anton. Scaynum, Alf. Salmeronē, & plurimos de domo Papali alios. Sed & rationes nostras è textus visceribus erutas repugnantes habent. Isidorus Clar. Fulginensis Episc. *schol. h. l. I. Christus & fuit & est, & erit, neq; unquam desiturus est, ipse, neq; ejus doctrina.* Ioh. Benedictus Paris. Sorbon. *schol. h. l.* annotat verba tum Augustini, tū Bernardi, à nobis supra adnotata: q̄ cōciliari nequeūt.

CAP. VII Diatriba Zvvingeri expenditur. De nomine IESVS.

§. 43. Sed nunc *diatribam D. Zvvingeri* percurram breviter. *Membro* II. *n.* 10. *& seqq.* disputat de nomine *Iesus*: dicit I. *autore esse nomen cœleste*, quia *ab angelo è cœlo allatum*. Verissimē *è Matt.* 1, 21. *Luc.* 1, 31. II. *significatione esse nomen salutare & significare Servatorem*. Cur hoc nomen receptissimo *Salvatoris* nomini substituit? olim quidem nomen σωτῆρος & per *salutificatorem* redditū fuisse, liquet ex Tertull. *de carne Chr. c.* 14 *& de resurrectione carnis c.* 47. Idē tamen *Salvatoris* nomen etiā habet *lib.* 3. *adv. Marc. c.* 18. Augustinus *lib.* 3. *de Trinitate cap.* 10. docet, antea in Latio ignotum *Salvatoris* nomen, magno cōsensu Ecclesiæ formatum & receptum fuisse. Notum est, quomodo in suorum temporū Novatores ad nomen *Salvatoris* nauseantes invecti sint jam pridem Theologi. Vide Molanum *in notis ad Vsuard. martyrol. 5. Cal. Mart.* Baroniū *ad Martyrol. Rom. 9. Nov. 6.* Lorinum *in Act. 5. v.* 31. In *Socino* ejusq; assecla illa etiam novatio animadversa est. Sed transmittamus hoc. III. invehitur in *Osiandrum & Cabalistas*, qui *nomen Iesu ad eandē originem & significationē cum nomine Iehova referunt*. Non dissentimus in re. Sed quam vehemēs in re grammatica ista invectiva est, *delirium* vocat, *vanorū singularitatis tumore inflatorū!* IV. & illud disputat, *nomen Iehova ineffabile per se, per hoc nomen Iesu non factū esse effabile*. Si de pronunciatione sermo sit, probamus. Sed habet, quod de *ineffabilitate nominis Iehova in V. T.* falsitatis arguit, contradicentes de domo Ios. Scaligerum, Sixtinum ab Amama, Ioh. Drusium, I. Capellū & alios suos fratres. V. ait, *nominis* Iesus *subjectum proprium & adæquatum esse Dei filium Christum*. Non dissentimus. VI. quærit, *qualis sit Iesus* Servator? Ait, *Esse verum, solū, plenum seu perfectum*. Et hunc quidem, *tum merito obœdientiæ activo-passivæ, tum efficacia applicationis*. Ex hoc infert, *falsos* esse 1. *qui nō admittunt veram satisfactionē Christi pro nostris peccatis*. Probamus: judicamus

dicamus autem *absolutum electionis decretū* & satisfactionis Christi veritatem, non concordare. Aut n. absolutus ille amor imperfect⁹ fuit, quo absolutè electi dilecti sunt ab æterno, aut satisfactio vera non requiritur. Infert, *falsos* esse 2. *qui non solam satisfactionē Christi admittunt.* Probamus: sed notamus phrases *de necessitate bonorū operum ad salutem & concursu* per modū *causæ sine qua non*, à Zvvinglianis nonnullis usurpatas, de quibus nostri nō semel monuerunt. Infert *falsos* esse 3. eos, qui *dimidiam nō integram satisfactionē agnoscunt, nec aliud Christi meritū agnoscunt, nisi passionis & mortis.* Probamus: sed ita *Piscatorem* & ejus sectatores ferit *Zuingerus*, inter quos Frid. Wendelin⁹ *in Chr. Theol.* novissimè crambē recoxit. VII. asserit *n. 25. nomen* Iesu *ex nova illa cœlitus orta θέσει tanta* ὑπεροχῆς esse, *ut sit nulli creaturæ communicabile*, & inde Iesuitas sibi illud nomen societatis jure vindicātes arguit. Probam⁹ omnia. IIX. *de nominis* Iesu *usu* ait, *id nomen oleo rectè comparari, quod & lucis & cibi & medicinæ exhibet usum, apud Bernhard. serm. 15. super Cantic.* Non contradicimus.

De nomine Christus.

§. 44. Num. 30. & seqq. disputat *de nomine* CHRISTI, *illud ab unctione descēdere, notari unctū non per se duntaxat*, sed *cum ordinatione ad unctionem aliorum, esse nomen Officij, in genere mediatorē designare, & quidē solum atq; unicū, qui sit Propheta, Sacerdos, Rex.* Nihil refellim⁹. Desideramus solum, quod nec *unguenti* formā, nec *unctionis* realitatem & rationē exposuerit. Addimus, si idiomatū divinorum communicationē Christo juxta h. n. factam, quam βελτίωσιν & μεταποίησιν veteres vocarunt, neget Zuingerus, illum Christo juxta hum. naturam illud triplex officium asserere solidè non posse.

De identitate Iesu Christi.

§. 45. Num. 37. & seq. ad prædicatū transit: dicit, Christū dici *eundem* respectu *sui & nostri. Sui respectu* tum *quoad personā*, tum *quoad officium. Quoad personam* rectè dixisse Athanas. *orat. de uno Chr.* ὁ αὐτὸς θεὸς, ὁ αὐτὸς ἄνθρωπος, τὸ συναμφότερον ὡς ἓν, ἑκάτερον ὡς μόνον. Eundē *esse Christum, quoad Divinitatē, nec mutationem aliquā attulisse ipsā ἐνσάρκωσιν. Eundem esse*, quoad humanitatē: ἀλλοῖον quidem reddidisse *statū exinanitionis & exaltationis, sed non* ἄλλον, *qualem pingant & fingāt ij, qui humanitatem Christi à resurrectione faciunt immensā, coextensam Deitati. Eundē* esse *quoad officiū Mediatorem, semper Prophetā, semper Sacerdotē, semper Regem Ios. 5, 13.* Nostri respectu *Christum* eundē *esse, tum communione sui, tū cognitione seu fide. Communione sui omnibus electis & credentibus eundē esse, itemq; communione beneficiorum, electionis, vocationis, justificationis, sanctificationis & salvationis. Cognitione sui eundē esse tum Patribus in V. tum nobis in N. Testamento. Itaq; Apostolū nō tam velle docere, qualis sit Christus in se, quā qualis sit nobis:* vid.

quod omnibus ab omni tempore fuerit salutis autor: nec tam de essentiæ, quã de doctrinæ identitate agi. Notamus 1. ex illis quæ supra deducta sunt, πρώτως idẽtitatem illã summam & perfectissimã, quæ basis est immobilis totius salutis humanæ, h. l. intelligendã. Cadit omnis alia, ubi hæc non subsistit. Neq; n. salus nostra finitæ ὑποστ. superstruitur. 2. *Identitatem personæ* ex illa anteriori summaq; identitate consequi. Neq; n. quicquã potuit in infinitam τῆς λόγου personam recipi, quod summã illam identitatẽ læderet. 3. *Idẽtitatẽ personæ* Chr. tueri eos nõ posse, qui in uno duntaxat loco τὸν λόγον sibi præsentẽ habere suam h. n. & eã *in uno solum loco* apud divinã esse asserunt, neq; aliã, quàm *localẽ præsentiam* Christo juxta hum. nat. cõcedunt, è quibus *D. Zuingerum esse*, monstratum est. Faciunt n. duos Christos: in uno loco præsentiã intimæ ἀπερι χωρήτως in hum. nat. exercẽtem, infinitis aliis locis nequaquã. 4. ὑπερύψωσιν, quæ post resurrectionẽ cõtigit, de qua *Phil.* 2. qua in omni-præsens Creaturarũ regimen etiam juxta hum. nat. evectº est, non facere *humanitatẽ immẽsam* aut Deitati *coextensã*: Divina namq; præsentia est *absq; extensione*. 5. Quia *Zuingerus* fatetur, exaltationem & exinanitionẽ ἀλλοίωσιν facere Christum, non probaturũ eũ, quæ de exinanitione & exaltatione Iesu secundũ Divinitatẽ scripserunt è Zuingliana schola *Martinius* & alii. 6. Christũ *semper Regẽ* rectè probari ex *Ios.* 5, 13. cum Genevẽsibus, Deodato, Tossano, Riveto, Piscatore &c. Sed Tigurinos cõtradicere, apparet ex Wolfio *in Ios. serm.* 12. *qui de angelo creato* interpretatur. §. 46. Mẽbro III. habet *n.* 48. *& seq.* de *religione*: quarũ I. est: *Nullã religionẽ salutarẽ esse præter Christianã: neminẽ vel in Ethnica, vel in Mahometica, vel in Iudaica, vel in Papana, qua talis est, salvari posse.* II. *Eam solam religionẽ Christianã esse, quæ Christo uni ac soli ceu fundamento innititur: Inniti a. religionẽ Christianam soli Christo tũ quoad verbũ, tum quoad meritũ.* III. *Religionem Christianã ut constantis veritatis, ita æternam esse, nullis unquã Satanæ cuniculis hactenus deletã fuisse, nec porrò deleri posse.* Fluunt ex aph. nostro. Sed ad I. quî Zuinglij assertio stabit, qua *Theseum, Herculem, & cæteros è gentilismo in cœlũ collocat?* Nã de communione eorũ cum Christo nulla certitudo. Et tamẽ hoc propugnat Massonius *part. 3. Anatom. cap. 25.* At verò si cũ Iustino Martyre dixerit, in tantũ Ethnicos participasse de Christo, in quantum de λόγῳ participârũt & *secundũ rationẽ* vixerunt, nihil ad rẽ dicet. Illa n. participatio nõ est propriè *religio Christiana*, quæ lumine non *naturæ* sed *gratiæ* nititur. Vid. Casaub. *exerc. 1. sect. 1.* & Capell. *in Vind. contra Rosvv. lib. 1. cap. 1.* Ad II. quomodo religio *absoluti decreti electionis & reprobationis* sese tuebitur, ut *Christiana religio* ha-

Didascalia de religionis identitate.

gio habeatur, quæ neq; *verbo*, neque *merito Christi* ceu *fundamentis* Christianæ religionis unicis innititur?

Didascalię de Christo ex h. Ap.

§. 47. Num. 51. & seqq. ait, I. *Deitatem, etsi non primò & directè, per consequentiã tamen ex h. l. assertã esse*: quia *licet Apostolus non loquatur de æternitate essentiæ Christi, sed potius de identitate invariabili fundamenti fidei; sequi tamen, 1. si Christus idem est semper, eum quoq; semper fuisse, nec cum carne cœpisse. Ille n. juxta Hieronym. in 2. Cor. 3.* solus verè est, qui semper idem est. *At Christus idem est semper. Sequi 2. Si Christus est omniũ temporũ Servator & Doctor, eum omnibus tẽporibus extitisse.* At tutius est prædicata Apostolica directè & primò de idẽtitate & æternitate essentiæ divinæ in Christo acceptare, licet, ut ostensum est, non præcisè, sicut nec mos loquendi S. literarũ patitur. II. *Christum cum suo merito atq; beneficijs nec tempori certo, nec gẽti, nec personæ, nec loco esse alligatum.* Benè; ita namq; est idem per omnia tẽpora, ut his inferioribus tempore circumscriptis illigatus tamen non sit. III. *Quorũ Christus Servator est & fuit, eorum Servatorẽ illum manere in æternũ.* Atqui hoc non fluit ex h. l. Quãvis n. *in se* idem dicatur heri & hodie & in secula, tanquã immutabilis & æternus Deus, nõ tamen ijdẽ in hominibus sequuntur effectus ex illa immutabili idẽtitate essentiæ & voluntatis divinæ. Nonne n. idem *Servator* esse voluit Iudæorũ, quos *gallinæ instar* sub *alas suas colligere* voluit, quiq; *noluerunt*? Nonne a. illis *ob incredulitatẽ* versus est in devastatorem? *Matth. 23. 37. & seqq.* Nonne idem est & immutabilis in illis divitiis χρηστότητος & ἀνοχῆς, & μακροθυμίας, qua ad μετάνοιαν invitat, *Rom. 2, 4. & 2. Petr. 3, 9.* & tamen multis deniq; non est Servator μακρόθυμος, quibus esse voluit, qui sc. sibi per suam σκληρότητα καὶ ἀμετανόητον καρδίαν *thesaurizant iram in die iræ &c.* Nimirũ istæ mutationes Dei *in effectibus* non inferunt Deo *mutationẽ in affectibus*, qui in ipso nulli sunt, ubi omnia summa sunt & ordinatissima. Quod igitur Christus nonnullorũ *Salvator* fuit *merito & auxilio*, quorũ deinceps ex justitia fit *damnator*, non mutat Christum. *Ioh. 3, 16. & s. Act. 17, 30. 31.* IV. *Ex istis, quos Christus ceu Servator redemit, neminem in æternum perire posse, propter identitatẽ, quæ constare non posset, si virtus atq; efficacia in nonnullis posset* ἐξασθενεῖν: *Ioh. 6, 37. 38. 39. c. 17. 12.* At manet in Christo *identitas essẽtiæ, potentiæ*, manet δύναμις & *valor thesaurorũ acquisitorum*, etiãsi aliquis ex redemtis pereat. *Rom. 14. 15. 1. Cor. 8, 11.* In Ep. ad Hebr. utrũq; dicitur; & Christum Iesum esse in idẽtitate atq; æternitate *tum divinæ Majestatis, tũ Salvatoriæ dignitatis*, & tamẽ nonnullos sanctificatos Christi sanguine eousq; prolabi, ut filium Dei conculcẽt, sanguinem testamẽti communẽ æstimẽt, Salvatorẽ rursus

sus crucifigãt, ut ἀδύνατον sit, eos propter istũ relapsum è diametro omnibus mediis salutis oppositũ πάλιν ἀνακαινίζειν. *Hebr.*6,4.5.6.7. *cap.*10,26.29. Confundit Zuingerus ἐνέργειαν & ἐνέργημα. *Illa* est *in Christo*, semper pro salute mortaliũ *operoso & actuoso*. Hoc malitiosa resistentia impeditur *in homine*: *Luc.*7,30. Ludit etiã in vocab. *redemtionis*, quod *Ap.*14,4 præter solutionem pretij etiã translationẽ emti designat. Hãc a. ab ipsa redemtione tanquã actũ subsequentẽ & ad finẽ usq; mundi duraturũ ab actu cum statu exinanitionis cõsummato aliàs separari, patet ex 2.*Pet.*2.1.*&* *Iudæ* 4.& quidẽ *Salvatoris* officio salvo. *Ioh.* 6. non est sermo de eo *actu divino*, quo *Filius* Dei *datus* est nobis & universis, de quo *Ioh.*3,16. *Tit.*2,11.1.*Ioh.*2,2.*&* c.4,14.2.*Cor.*5,15.1.*Tim.*2,6. sed quo *fideles* per illuminationẽ, & insitionẽ spiritualem *dãtur* Filio Dei. Ille pertinet ad Sacerdotale officiũ. Hic inprimis regnũ gratiæ spectat. Et tamen *cap.*17,12. dicitur, ex illis, qui Christo dati sunt, ut mẽbra & organa regni gratiæ, aliquẽ periisse. Et *Ioh.c.*6,37. hoc tantũ dicitur, eum, quẽ isto peculiaris dationis actu Christo dederit Pater, venturũ ad filium Dei, quod a. nequeat ejusmodi datus recedere à Christo, est contra 2 *Pet.*2,20. Equidẽ Chr. contendit, ut *nihil perdatur ex eo, quod ipsi à Patre datũ; v.39. Ioh.*6. Sed quia illa contẽtio πεπαγμένη est, *Act.*13,48. fit ut deserant quidam Christum, & naufragium fidei faciant. 1.*Tim.*1,19.

Apoc.14.4. expl.

De convenientia V. & N.T.

§.48. Num.54.& seqq. agit *de conveniẽtia V. & N.T.* Ut *maximè in ijs, quæ accidẽtalia sunt, circũstantijs sc. ac modo administrationis differentia agnoscẽda, utrũq; tamen fœdus σπουδαῖος convenire: esse n. unũ eũdẽq; Christum* 1. Officio, quia *idẽ est utrobiq; Salvator & Mediator, unusidẽq; Propheta, Sacerdos, Rex*: 2. doctrina, quia *idem Evangeliũ per utrũq; Testamentũ duravit.* 3. fide. 4. sacramentis; *eadẽ namq; esse in utroq; fœdere sacramenta Christũ significantia, obsignãtia, exhibentia, ut maximè in signis externis, circũstantijs & modo administrationis differant.* 1.*Cor.*10,2.3.4. 5. Virtute, efficacia, beneficiis, *Patres in V.T. æquè ac nos participes esse ejusdẽ adoptionis, justificationis, sanctificationis, glorificationis.* Errat a. 1. Zuingerus in *differẽtia V. & N.T.* dum illam *in sola tẽporis ratione* collocat, quasi ad V.T. pertineret, quicquid à promulgatione protevãgelij usq; ad incarnatũ Christum in Ecclesia revelatũ fuit: ad N.T. autẽ, quicquid post incarnationẽ in Ecclesia institutũ est. Aliter res sese habet in sede, ubi cœlitº explicata est. *Ex.*19.20.21.*&* *s.&* *Ier.*31.39.*&* *seqq.Hebr.*8,5.6.7.8.*&* *seq.* Unde apparet, differentiã esse *ratione solennis promulgationis, conditionũ fœderis, mediatoris, justificationis, lucis, latitudinis, sanguinis, durationis &c.* vid. D. Web. *T.4.disp.Giß.*18. Quia verò, *ratione solennis promulgatiõis*

N.T.

N.T. quod aliàs προκεκυρωμένον fuit. *Gal.* 3, 17. differendũ fuit usq; ad incarnationem Christi, ideo quædã, quę certo modo ad V.T. pertinuerunt, efficacissima contẽperatione ad N. T. *fructus atq; beneficia* communicãda ordinata fuerũt. Sic *leges ceremoniales* ipsæ quidẽ ad Iudæos pertinuerunt, eosq; in officio continuerunt, ne suo arbitratu ipsi cultus sibi fingerent, insup externã munditiẽ eis præscripserũt, & ipsi adeò ritus sacrificiorũ homines de peccato, ira & pœnis divinis monuerũt, quo respectu ad V.T. referuntur: in illis tamẽ placuit Deo *typos venturi Christi collocare*, qui se victimã pro peccatis totius mundi oblaturus erat. Hoc sapientissimo divino tẽperamento est in illis *ipsa doctrina Evangelij, typis involuta*. His involucris Novo T. solenniter promulgato abolitis nos hodie *gloriã Domini, & faciẽ Dei in Christo* incarnato tanquam in speculo intuemur. *Conf. Augustin.* C. D. XIIX, 1, 2. Errat, quando ait, *sacramenta solùm signis externis, circumstantijs & modo administrationis differre*. Differũt n. maximè *causa formali & materia cœlesti*, quę ex ipsis verbis dispositivis eluceſcit. Omnia quidẽ tam V. quã N.T. sacramẽta sunt media, quib⁹ ex divina ordinatione cœlestis inest gratia aut *ad initiationẽ* aut *ad confirmationẽ* fideliũ. Sed in *medij* ipsius *dispositione* diversitas est, eaq; nõ solũ quod elemẽtũ sed in primis in iis, q̃ elemẽtis cõtinẽtur.

§. 49. Verba 1. *Cor.* 10. *v.* 2, 3, 4, 5. ad Patres Israëlitarũ ex Ægypto eductos omninò restringẽda sunt. Illi πάντες τὸ αὐτὸ *ederunt & biberunt*, qui fuerunt *sub nube*, qui trãsiverunt per *mare*, qui *manu Mosis* baptizati sunt q. *in nube & mari*, qui antecedentẽ & *consequentẽ* Ducẽ habuerũt *angelũ increatum*, q̃ est *Christ⁹*, ex quibus plurimi prostrati sunt, q̃ τύποι nobis facti sunt, *v.* 1. 2. 4. 5. 6. sc. distinguẽdũ est *exẽplar* à *spectatorib⁹* ejus. Proponit Apostolus in *exẽplari* primò κοινωνίαν, in *idẽtitate* nubis, trãseundi maris, perceptæ mannæ, haustæ è petra spirituali & supernaturali operatione præsentis & comitãtis Christi aquæ: *Conf. disp. 5. Anticog. p.* 206. §. 10. Deinde ob oculos collocat, eorũ, q̃ in eandẽ inter se beneficiorũ & miraculorũ spiritualia bona adũbrantiũ areã omnes collocati fuerunt, διέφθειραν per *eventum internecionis v.* 5. Hi spectatorib⁹ hujus exẽplaris, cõstitutis etiã sub N.T. in identitate miraculorũ & beneficiorũ plurimorum inter se, imò in idẽtitate antitypi percepti positis, proponũtur ad evitandã cõcupiscentiã & cõtumaciã. Num. 61. & seq. probat ex h.l. 1. *Ecclesiæ unitatẽ Catholicã.* 2. *durationẽ perpetuã.* Quã utrãq; probamus. Qui n. quoad voluntatẽ beneficã idẽ *heri, hodie, & in æternũ* est, is etiam unam pro beneplacito divini regiminis Catholicam eamque perpetuam in orbe universo sibi colligit Ecclesiam.

Loc. 1. Cor. 10, 2. 3. 4. 5. expl.

De Ecclesia.

§. 50.

Elenchorum Zvvingeri ex h. l. elẽchus.

§. 50. Num. 63. & seqq. arguit I. *Atheistas*, & *Academicos*, qui *quẽvis in quavis religione salvari posse, ajunt.* Bene. Pugnat n. hoc dogma cũ explicata *idẽtitate & perpetuitate* Domini Iesu. II. *Iudæos*, qui negãt *Iesum Naz. esse Messiã.* Rursus bene *ex h. l.* cũ sit χθὲς καὶ σήμερον ὁ αὐτὸς, quod per totã Epistolã *ex cõsẽsu factorum* Iesu *cum V. T. vaticiniis* cõprobatũ est. III. *Manichæos* qui *duos Deos aliũ V. aliũ N. T. cõstituunt*: cũ sit ὁ αὐτὸς. IV. *Papistas*, qui *in materia de capite Ecclesiæ, Evangelio, fide, sacramẽtis &c.* hũc aphorismũ impugnãt. V. *Anabaptistas*, qui *Patres V. T. à salute per Christũ parta excludunt.* Bene. Sed cur omittit *Anti-Trinitarios*? Properãdũ fuit ad *Lutheranos*. Quid illi in h. l. peccârũt? I. inquit *Zuingerus*; *Patrib⁹ in V. T. nihil aliud relinquere vidẽtur, quam umbrã, in sacramentis præsertim, quæ putant signa fuisse Christo vacua; N. T. a. ejusq; Sacramentis aßignant corpus & veritatem.* Malè vidẽtur! Estne hoc de tota religione V. T. dictũ? Nil falsi⁹ Lutheräis attribueretur. Estne de Christo *indiscriminatim* dictũ? Rurs⁹ nihil falsius. Distinguũt Lutherani inter *mysteria in persona Christi* in tẽpore demũ *exhibita*, & inter *fructum illorũ*. Hunc nõ *umbraten⁹*, sed *reapse* ad totũ Veteris T. populũ redundasse, ajũt. Et *hic* tũ *verbo* tũ *sacramẽtis* etiã V. T. fuit applicatus. Ipsa *mysteria* nondũ fuerunt, sed *adumbrata* sunt: *nõdum* fuit *incarnatio, nativitas, exinanitio, passio, mors, resurrectio, sessio ad dextrã &c.* Christi *præsentia divina* vel in *verbo* vel in *sacramentis*, & inprimis *corporis & sanguinis*, imò hujus *præsentia divina in S. cœna* nõ fuit, antequã corpus Christo *adaptatũ fuit*, *Hebr. 2, 14. c. 10. 5.* Sed de his in Anti-cogẽtianis. Peccarũtne ulteri⁹ in h. l? II. inquit *Zuingerus*, *efficaciã à merito Christi separãt, docẽtes Christũ esse Servatorẽ omniũ hominũ promiscuè quoad redẽptionis impetrationẽ, electorũ fideliũ tãtum quoad applicationẽ.* Cur ita fabulatur Zvvingerus? asserim⁹ merito Christi *suã efficaciã* esse *intimã & indivisibilẽ*. Id n. *effectũ* est, & *infectum* nunquã esse potest, quod Deus propter infinitã satisfactionis Christi dignitatẽ vult omnibus efficacissima salutis media (verũ *ordinata*, nõ a. *irresistibiliter operãtia*) communicare: *Act. 17, 30. 31.* Dum verò malitiosa resistẽtia reluctantur infideles, quibus tamen etiã ad eluctandũ sufficiẽtes vires datæ sunt; jam nõ consequuntur illã efficaciam, sed pereunt. 1. *Tim. 4, 10.*

Monita ex h. l.

§. 51. Quod ex h. l. de solatijs salutaribus addit Zvvingerus, monemus ijs à Zvvingero nervos incidi, dum negat, singulis hominibus Iesum esse Iesum, esse Christum, dum ait, heri & hodie fuisse atq; esse & deinceps futuros esse, quos ex absoluto decreto à Christo secluserit Deus, heri & hodie Iesũ voluntate Signi sese, ut ipsorũ Christũ intimasse multis, quos voluntate beneplaciti absolutè ab omni spirituali Chrismate rejecit. Sed finis esto. Iesus Christus, qui heri & hodie nobis fuit propitius, in secula nostram misereatur, Amen.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746345968/phys_0082
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746345968/phys_0084
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746345968/phys_0085
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746345968/phys_0086
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746345968/phys_0087
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746345968/phys_0088
DFG

IV.

cæ genus non eſt ars nec prudentia.

ut prolixi ſimus, nulla flagitat neceſſitas: unico igr
ur: quicunq; habitus philoſophicus non eſt practi-
ca vitia & virtutes, circa contingentia, circa ea quæ
adunt, illius quoq; genus eſſe nequit. Atqui Meta-
talis habitus Erg. genus ejus prudentia eſſe nequit.
t prudentiæ propria indoles, uti minorem ipſius
, quæ eſt mera theoretica ſeu ſpeculativa. De arte
dam movere auſi ſunt, quibus opponimus hanc ar-
i non competit definitio artis, illius genus ars eſſe
yſicæ non competit definitio Artis. Erg. Major
itio generis competit ſpeciei generi ſubjectæ, quia
eò eſt corpus animatum ſenſu præditum. Minor
ne artis. Ars, inqt. Philoſophus 6. Ethic. eſt habi-
ffectivus: hoc a. de Metaphyſica nemo ſanæ men-
theor. tranſc. diſp. 1. *th.* 28. *p.* 10. quia habitus pra-
hyſica, quomodo ars erit? Cum omnis ars ſit habi-
es habitus practici: Forſan ſpecies alicui compe-
genus illius ſpeciei? quod ego non crediderim,
omo ſit & non animal: Hæc ille. Artem contem-
m Mart. *part Metaph. l.* 1. *q.* 2. *ſ.* 1. & Scharf. *theor.*
p. 20. proclamamus σιδυρόξυλον. Nec juvat eum
io, quam ex Luciano ſuo accurato illo definitore
quæ quam perfecta & accurata ſit, videatur Exc.
b. 1. *art.* 3. *ſ.* 3. *p.* 10. Scheibl. Met. *l.* 1. *c.* 1. *art.* 2. *n.*
o. 7. *l.* 1. *quæſt.* 1. & alii.

V.

e genus non eſt intelligentia.

uſio non adeò ſit apud Dd. Metaph. controver-
a brevis ero: ſicuti a. de ſcientia ſtrictè ita dicta
l ideò non poſſit eſſe genus Metaphyſicæ, quia
ſiones: ita nunc de intellectu dicimus, quod hic
æ conſtituere nequeat, quia præcisè Principia
mentum. Qui habitus in nudis acquieſcit Prin-
. eſſe nequit. Aſt intelligentia talis eſt. Erg. Ma-